

resipiscant et constitutiones observent, statim sine morâ a collegio expellat, et si quis se opposuerit, etiam ipse expellatur. Dimissus ob culpam, quae gravio-rem poenam mereatur, nunquam recipietur in collegio sub poenâ depositionis ab officio mittenti et recipienti<sup>1</sup>. Si quis a disciplinâ regulari ad fora secularia quocumque titulo vel colore appellaverit, hoc ipso excommunicatus erit, ut habeatur in statutis et in sacris canonibus.

xxviii. Nemo ad sacros ordines et ad confessarii aut concionatoris munus destinabitur nisi examinatus et approbatus a priore, subpriore, monitore et duobus professoribus theologiae, cum licentiâ patris prioris in scriptis quoad confessiones et conciones, et quoad ordines cum licentiâ provincialis, de cuius provinciâ erunt ordinandi.

xxix. Ordo regularitatis intra collegium is observetur, qui in constitutionibus et in praxi provinciae Turonensis praescribitur. Si quae difficultates circa illum orientur, suffragiis prioris, subprioris, doctoris, monitoris, quatuor discretorum, seu clavariorum, duorum lectorum in theologiâ et duorum in philosophiâ decidentur.

xxx. Si huiusmodi difficultates circa regularitatem, studia, pensiones, officia, celebrationem missarum et similia maioris momenti emergerint, decidentur a patre priore et a toto consilio viginti quatuor, etiam si opus fuerit, per suffragia secreta, et haec omnia in libro capituli fideliter describentur.

xxxi. Quia vero pleraque scandala ex secularium vicinitate et commixtione cum illis in choro oriuntur, diligentia commissarii et prioris, chorus separatus statim fabricetur, vel sedilia praesentis chori sic claudantur, ut nec contactus nec prospectus inter fratres et seculares esse queat.

<sup>1</sup> Forsan legend. *mittentis et recipientis* (R.T.).

xxxii. Nullus deinceps ad studia aut officia in collegio admittatur, quin iuret, atque in libro receptionis subscribat, se omnes tam constitutiones supra nominatas, quam has leges, istave decreta observaturum, idque etiam scripto testabuntur provinciales in litteris, in quibus regulares suos Lutetiam mittent, alioquin in collegio non recipiantur. Alia multa, quae necessaria vel opportuna esse possunt pro bono regimine collegii, praescripta sunt in novis constitutionibus reformationis, quae nedum in dicto collegio, sed etiam in omnibus aliis conventibus reformatis et reformandis vigere debent.

Fr. THEODORUS STRATIUS,

generalis Carmel. Antiquae Obs. reg.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Theodorus prior generalis plurimum cupiat praeinsertas constitutiones huiusmodi, pro firmiori earum subsistentiâ et inviolabili observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut eius votis huiusmodi annuere, ac desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, domus regularis et collegii praefatorum prosperam felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, dictumque Theodorum priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones praeinsertas huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae

Idem prior dictas constitutiones apostolicâ auctoritate confirmari petiit.

Confirmat Urbanus.

firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementus.

Clausulas necessarias apponit.

§ 4. Decernentes, easdem constitutiones ab omnibus et singulis domus regularis et collegii praefatorum fratribus et personis, sub poenis in eis contentis, inviolabiliter observari, easque ac praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, eeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv ianuarii mdcxxxvii, pontificatus nostri anno xiv.

Dat. die 25 ianuarii 1637, pontif. anno xiv.

#### DLXIV.

*Quod in provinciis sancti Bernardini et sanctae Mariae Magdalenae in Gallia fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum seu Recollectorum nullus omnino gaudeat privilegiis patrum provinciae.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbimus, ut religiosi viri, qui, obliti populum suum et domum patris sui, divini Numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter in spiritu humilitatis et sanctitate et iustitiâ coram ipso.

Mandat prout in rubrica.

§ 1. Hinc est quod nos, felici dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum

et Recollectorum nuncupatorum provinciarum sancti Bernardini et sanctae Mariae Magdalenae in Gallia statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, harum serie, sub excommunicationis ac privationis omnium actuum legitimorum poenis, prohibemus, ne ullus omnino in praefatis provinciis gaudeat privilegiis patrum provinciae: mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ut absolute tales patres provinciae sublatis sint, non obstante quacumque constitutione vel concessione provinciali aut aliâ quavis, exceptis tamen his qui fuerunt aut erunt in posterum patres Ordinis vel definitores generales.

§ 2. Quocirca venerabili fratri episcopo Albiensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum fuerit requisitus, solemniter publicans, et eisdem in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ eosdem fratres praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam, quavis auctoritate fungente, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate,

Executores deputat et transgressores puniri mandat.

scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contraria.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, et aliâ in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, ac ad verbum ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII februarii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 18 februarii 1638, pontif. anno XIV.

DLXV.

*Erectio duodecim alumnatum in collegio Urbano de Propaganda Fide pro*

*Georgianis, Persis, Nestorianis, Iacobitis, Melchitis et Coptis*<sup>1</sup>.

Urbanus Episcopus,  
servus servorum Dei,  
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Altitudo divinae providentiae, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea interdum fidelium animis suggerit, quae ad christianae religionis et pietatis propagationem maxime profutura esse dignoscuntur. Unde nos, universi gregis Domini grave pondus nostris humeris impositum sustinentes, de animarum pretioso Salvatoris nostri Iesu Christi, qui post gloriosam eius resurrectionem ad sempiterna regni caelestis tabernacula ascensus, discipulos suos per universum mundum evangelium omni creaturae praedicare iussit, cuiusque vices in terris gerimus, sanguine redemptarum assiduâ meditatione solliciti, ad ea, per quae fidei orthodoxae iam dudum per universas mundi regiones disseminatae ac antiqui serpentis calliditate in diversis mundi partibus diversimode violatae et conculcatae splendori salubri remedio restituendo et propagando consulitur, sincerique eiusdem religionis ministri ad sollicitudinis nostrae partem, animarum videlicet curam sustinendum et vera fidei documenta praedicandum instruuntur, libenter intendimus; ac iis, quae per christifideles quoslibet, praesertim S. R. E. cardinales, pro eximiâ eorum devotione et provido sinceroque mentis affectu, pro divini cultus incremento liberaliter determinata fuerunt, apostolici favoris ultro impertimur suffragium.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, dilectus filius noster frater Antonius Barberinus tituli S. Honuphii presbyter cardinalis eiusdem S. Honuphii nuncupatus, noster secundum carnem frater germanus,

Antonius cardinalis Barberinus duodecim alumnatus in collegio Urbano erigere, ac dotare cupit.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

maior poenitentiarius et bibliothecae apostolicae praefectus, ac unus ex eiusdem S. R. E. cardinalibus super negotiis de fide catholicâ propagandâ deputatis, cupiens pro suis viribus sanctissimum et R. E. utilissimum opus dictae congregationis manutenere, illudque in dies ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et animarum salutem augere, ex bonis sibi ab eodem omnipotente Deo collatis unum collegium seu alumnatum duodecim pro nunc alumnorum ex infrascriptis nationibus nominandorum, qui sub iurisdictione eiusdem congregationis, ac sub regimine et disciplina pro tempore existentis rectoris, et iuxta constitutiones collegii de Propagandâ Fide vivere et educari debeant, cum dotis<sup>1</sup>, quae numquam alienari, et cuius fructus in alium praeterquam victus et vestitus dictorum duodecim alumnorum usum converti non debeant aut possint, assignatione, et cum iurispatronatus ad favorem domus nostrae Barberinae reservatione infrascriptâ, fundare et dotare decrevit: nos, tam pium opus, quantum in nobis est, confovere et ad optatum finem perducere sinceris desiderantes affectibus, ad illud totis viribus promovendum animum et mentem nostram convertimus.

Pontifex erigit nationes ex quibus desumpti sunt alumnus eorum qualitates aliâque his similia praescribit.

§ 2. Quocirca, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ nostrâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, unum collegium seu alumnatum pro duodecim pro nunc alumnis bonae complexionis, ac mente et corpore sanis, sine ullo corporali defectu, non minoribus quindecim, nec maioribus viginti seu viginti unius annorum, in latinâ vel italicâ lingua aliquando introductis<sup>2</sup>, ex infrascriptis Asiae et Africae nationibus tantum eligendis et nominandis, videlicet Georgianorum et Persarum ac Nestorianorum

necnon Iacobitarum et Melchitarum necnon Cophtarum, duos videlicet pro qualibet natione, quem tamen numerum idem frater Antonius cardinalis ad decem et octo, tres scilicet pro qualibet earumdem nationum, vitâ comite, et divinâ bonitate illius conatus prosperante, quandocumque arbitrio suo augere valeat (ita tamen, ut, si aliquando contigerit aliquâ vice non posse ex aliquâ vel aliquibus ex nationibus superius designatis infra annum vel ad summum biennium haberi alumnos, assumantur ex aliis nominatis, aut etiam Armenorum nationibus; quo casu fructus locorum vacantium anni vel biennii huiusmodi ad ferendas alumnorum necessitates reserventur, vel, iis cessantibus, pro augendo alumnorum numero investiantur; ipsique alumni sub rectoris disciplinâ et regimini, necnon sub regulis et constitutionibus dicti collegii de Propagandâ Fide vivere debeant eo modo quo vivunt ceteri alumni qui de praesenti in ipso collegio de Propagandâ Fide educantur, inter quos et alumnos collegii et alumnatus sic noviter erecti nullam prorsus volumus adesse differentiam, nisi circa novorum alumnorum in collegio admissionem ad nominationem pro tempore existentis patroni, ut infra disponetur, faciendam; teneantur etiam noviter erecti collegii seu alumnatus huiusmodi alumni aliud iuramentum a congregatione de Propagandâ Fide Pontificiis collegiis praescriptum praestare, exceptâ prohibitione ut fiant sine speciali licentiâ regulares, quia noviter erecti collegii seu alumnatus alumnos religionem sancti Antonii seu sancti Basilii ingredi et in earum qualibet professionem regularem emittere volumus), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

§ 3. Eique sic erecto et instituto, pro ipsius alumnorum sustentatione et aliorum onerum supportatione, redditus an-

Dotem pro huius alumnatus a cardinali Barberino pa-

<sup>1</sup> Male edit. Main. legit *dote* (R. T.).

<sup>2</sup> Forsan legend. *instructis* (R. T.).

randam  
gnat.  
ass-  
nuos per eundem fratrem Antonium cardina-  
lem assignatos (tot videlicet loca mon-  
tium non vacabilium de Urbe, ex quibus  
quolibet anno ad minus octingenta quin-  
quaginta scuta percipiuntur) et assignan-  
dos perpetuo concedimus et assignamus.

§ 4. Ius vero nominandi alumnos prae-  
dictos, iuxta modum et formam supras-  
criptam et cum conditionibus infrascriptis,  
eidem fratri Antonio cardinali, donec  
vixerit, reservamus; sequuto vero obitu  
eiusdem fratris Antonii cardinalis, dilectis  
filiis nostris Francisco S. Laurentii in  
Damaso Barberino nuncupato, S. R. E.  
vicecancellario, et Antonio S. Agathae  
diaconis Antonio respective nuncupatis,  
eiusdem S. R. E. cardinalibus, nostris se-  
cundum carnem ex fratre germano nepo-  
tibus, qui per turnum alternis vicibus  
nominare debeant; ipsis vero deficientibus,  
cardinalem, si tunc vel quodcumque  
aderit, de familia nostra Barberina ex linea  
dilecti filii nobilis viri Thaddaei Barberini,  
nostri etiam secundum carnem ex fratre  
nepotis, Urbis praefecti et principis Prae-  
nestini, descendantem, et in defectu car-  
dinalis, praelatum, et non existente tunc  
praelato, personam ecclesiasticam de eadem  
familia et descendentia, in iure et  
facultate nominandi alumnos huiusmodi  
succedere etiam volumus, statuimus et ordi-  
namus; et si forte evenerit, quod eodem  
tempore extarent plures cardinales de  
eiusdem Thaddaei praefecti et principis  
familia et descendentia, omnes in iure et  
facultate nominandi huiusmodi aequaliter  
succedere et nominationem ipsam per tur-  
num et alternatim fieri debere decer-  
nentes, inter plures vero praelatos et per-  
sonas ecclesiasticas ille solus succedat,  
et ius habeat nominandi, qui maiorem  
obtineat praelaturam, et, inter aequales,  
actate maior fuerit, quoties vero defece-  
rint cardinales, praelati et respective per-  
sonae ecclesiasticae de linea dicti Thaddaei

praefecti et principis, tunc facultatem et  
ius nominandi huiusmodi per ipsum Thad-  
daeum praefectum et principem, eoque  
non existente, vel quodcumque defi-  
ciente, per vocatos et comprehensos in  
iure succedendi per nos ordinato in per-  
petuum assumi et reassumi; idque toties  
quoties casus deficientiae cardinalis, prae-  
lati et personae ecclesiasticae, ac eiusdem  
Thaddaei praefecti et principis descenden-  
tiae<sup>1</sup> evenerit, fieri debere similiter decer-  
nimus; ac huiusmodi nominationem non  
posse fieri nisi de alumnos ex nationibus  
supra expressis, ita ut ex qualibet supe-  
rius expressarum nationum adsint in a-  
lumnatu saltem duo, qui habeant supra-  
dicta requisita; et aliter factam nomina-  
tionem nullam esse, nullumque ius no-  
minato tribuere declaramus.

§ 5. Et insuper nominationes alumno-  
rum per patronos praedictos pro tem-  
pore nominatorum confirmationem per  
S. R. E. cardinales congregationis de Pro-  
paganda Fide pro tempore deputatos, qui,  
antequam ad huiusmodi confirmationem  
deveniant, quod in nominatis qualitates  
superius requisitae concurrant certi esse  
debeant, et ante confirmationem praedi-  
ctam nominatos nullo modo in alumna-  
tum recipi aut admitti mandamus.

§ 6. Demum eisdem, aliisque dicti a-  
lumnatus personis, ut omnibus et quibus-  
cumque privilegiis, exemptionibus, liber-  
tatibus, facultatibus, et indultis, quibus  
omnes et singuli dictae congregationis  
de Propaganda Fide alumni et aliae per-  
sonae quovis modo utuntur, potiuntur  
et gaudent, ac uti, potiri et gaudere pos-  
sunt et poterunt quomodolibet in futurum,  
non solum ad eorum instar, sed etiam  
pariformiter et aequae principaliter uti,  
potiri et gaudere valeant in omnibus et  
per omnia, concedimus et indulgemus,  
illaque eisdem communicamus.

<sup>1</sup> Male edit. Main. habet *descendentia* (R. T.).

Nominaciones  
alumnorum a  
sacra congrega-  
tione de Pro-  
paganda Fide  
confirmari tu-  
bet.

Huiusmodi  
alumnis cetero-  
rum privilegia  
concedit.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, praemissa omnia et  
singula ac praesentes litteras nullo un-  
quam tempore ex quibuscumque causis  
de subreptionis, vel obreptionis, seu nul-  
litate vitio, aut intentionis nostrae, vel  
quocumque alio defectu notari, impugnari,  
retractari, seu etiam revocari, suspendi,  
restringi, limitari, aut in ius vel contro-  
versiam vocari, aut ad terminos iuris  
reduci posse; sique per quoscumque iu-  
dices ordinarios et delegatos, etiam ca-  
merae apostolicae praesidentes clericos,  
et eiusdem S. R. E. camerarios et alios  
cardinales, ac vicecamerarios, nec non  
causarum palatii apostolici auditores, sub-  
lata eis et eorum cuilibet quavis aliter  
iudicandi et interpretandi facultate et au-  
toritate, iudicari ac definiri debere, ac  
irritum et inane quidquid secus super  
his a quoquam, quavis auctoritate, scienter  
vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio  
exequentorum.

§ 8. Quocirca dilectis filiis et pro tem-  
pore existentibus Urbis gubernatori, et  
causarum curiae camerae apostolicae ge-  
nerali auditori, et nostro in eadem Urbe  
eiusque districtu vicario in spiritualibus  
generali, motu simili mandamus, quate-  
nus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se,  
vel alium, seu alios, praesentes litteras  
et in eis contenta quaecumque, ubi et  
quando opus fuerit, et pro parte nunc et  
pro tempore interesse habentium fuerint  
requisiti, solemniter publicantes, eisque  
efficacis defensionis praesidio assistentes,  
faciant auctoritate nostra easdem praesen-  
tes et in eis contenta quaecumque ab  
omnibus, ad quos spectat et pro tem-  
pore spectabit, firmiter et inviolabiliter  
observari, ac nunc et pro tempore in-  
teresse habentes illos<sup>1</sup> pacifice frui et gau-  
dere, non permittentes eos desuper per  
quoscumque quomodolibet indebite mole-  
stari; contradictores quoslibet et rebel-  
les per censuras et poenas ecclesiasticas,

<sup>1</sup> Potius lege *illis* (R. T.).

aliaque opportuna iuris et facti remedia,  
appellatione postposita, compescendo, ac  
censuras et poenas ipsas, servata forma  
concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus  
aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus  
fuerit, auxilio brachii seculariis.

§ 9. Non obstantibus nostra de gratiis  
ad instar non concedendis, necnon qui-  
busvis apostolicis constitutionibus et ordi-  
nationibus, ac statutis et consuetudinibus,  
privilegiis quoque, indultis et litteris apo-  
stolicis praedictae congregationi et qui-  
busvis universitatibus, collegiis, eorumque  
superioribus, deputatis, rectoribus, alum-  
nis et aliis personis etiam sub quibus-  
cumque verborum tenoribus et formis, ac  
cum quibusvis etiam derogatoriis de-  
rogatoriis, aliisque efficacioribus et inso-  
litis clausulis, necnon irritantibus et aliis  
decretis, in genere vel in specie, etiam  
motu, scientia et potestatis plenitudine  
paribus, ac aliis quomodolibet in contra-  
rium concessis, approbatis et innovatis;  
quibus omnibus et singulis, etiamsi de  
illis eorumque tenoribus specialis, spe-  
cifica, expressa et individua, ac de verbo  
ad verbum, non autem per clausulas ge-  
nerales idem importantes, mentio seu  
quaevis alia expressito habenda aut ali-  
qua alia exquisita forma ad hoc servanda  
foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo  
ad verbum nihil penitus omissis et forma  
in illis tradita observata<sup>1</sup> inserti forent,  
praesentibus pro plene et sufficienter ex-  
pressis et insertis habentes, illis aliis in  
suo robore permansuris, hac vice dumtaxat  
specialiter et expresse motu pari de-  
rogamus; contrariis quibuscumque; aut si  
quibusvis communiter vel divisim ab eadem  
sit Sede indultum, quod interdicti,  
suspendi vel excommunicari non possint  
per litteras apostolicas non facientes ple-  
nam et expressam ac de verbo ad ver-  
bum de indulto huiusmodi mentionem.

Obstantium  
derogatio.

<sup>1</sup> Coniunct. et *delemus* (R. T.).

Transumptis danda fides. § 10. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dictae congregationis, aut alicuius curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales. § 11. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, assignationis, reservationis, decreti, declarationis, concessionis, indulti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXVII<sup>1</sup>, x kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XIV. Dat. die 23 martii 1637, pontif. anno XIV.

DLXVI.

Ne fratres Discalceati Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniae post emissam professionem possint transire ad Ordinem fratrum Minimorum S. Francisci de Paula.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Alias hic Pontifex edidit Constitutionem quae refertur. § 1. Alias a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Commissi nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis debitum postulat, etc. (Omittitur residuum, quia habes in Constit. CCCLXXX, supra pag. 176<sup>2</sup>).

<sup>1</sup> Male, ut puto, edit. Main. habet 1636 (R. T.).  
<sup>2</sup> Ita cit. edit. Main. sed frustra (R. T.).

§ 2. Sed ne aliquis dubitare possit, an fratribus praedictis, per praeinsertas nostras litteras huiusmodi, in illis verbis, etiam emissionis quarti voti vel strictioris regulae praetextu, transitus ad Ordinem Minimorum sancti Francisci de Paula nuncupatorum prohibitus sit:

§ 3. Ideo, pro maiori quiete et conservatione regularis observantiae congregationis fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis huiusmodi, dilectus filius Ioannes de Annuntiatione eiusdem congregationis procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis per aliquod opportunum declarationis nostrae ministerium providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 4. Nos igitur, eundem Ioannem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, tenore praesentium declaramus, prohibitionem in praeinsertis nostris litteris contentam et expressam, quod nimirum, non liceat fratribus Discalceatis Congregationis huiusmodi post emissam in eam professionem ad alium Ordinem, seu religionem, praeterquam fratrum Carthusianorum ut praefertur, transire, comprehendere etiam Ordinem fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula.

§ 5. Ac proinde omnibus et singulis fratribus Discalceatis eiusdem congregationis Sanctissimae Trinitatis, tam laicis quam ceteris choro deputatis, explicite,

Non, ad tollendam haesitationem an liceat his fratribus transire ad Ordinem Minimorum sancti Francisci de Paula.

Procurator generalis pro declaratione supplicat Pontificem.

Qui declarat quod prohibitio praeinserta includit etiam transitum ad Ordinem fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula;

Prohibetque ne de cetero transiret ad dictum Ordinem.

nominatim et expresse prohibemus, ne de cetero, sub praedictis et aliis quibusvis praetextibus, et aliis quam ut praefertur, ad secundodictum Ordinem fratrum Minimorum huiusmodi transire quoquo modo audeant seu praesumant.

Ac irritat professionem emissam contra istam, vel praecedentem Constitutionem.

§ 6. Decernentes, si aliquis religiosus ex praedictis Discalceatis iam professus novam professionem in praedicto eorumdem Minimorum S. Francisci de Paula, vel in alio quolibet Ordine quomodocumque nuncupato emiserit, ultra poenas in praedictis nostris litteris appositas, professionem huiusmodi ipso facto nullam, irritam et inanem, nulliusque valoris et effectus; eodemque prorsus modo, professionem per eosdem primo dictos fratres in Ordine Carthusianorum huiusmodi emissam absque licentia prius petita et obtenta a superioribus praedictae congregationis fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis huiusmodi, etiam ipso facto nullam, irritam et inanem, nulliusque valoris et effectus existere et fore, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deroga'que contrariis.

§ 7. Non obstante, quod de iure communi concessum est in cap. *Liceat*, de Regularibus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictorum Ordinum et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis congregationi et Ordinibus huiusmodi, illorumque quibusvis personis et fratribus, sub quibus<sup>1</sup> verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium te-

<sup>1</sup> Lege quibusvis (R. T.).

nones praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliis in suorum robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, et ministri generalis seu procuratoris generalis Romanae curiae eorumdem fratrum Discalceatorum, seu alicuius praelati, vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, et notarii publici manu subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Huius Constitutionis transumptis fidem adhiberi mandat.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die IV aprilis MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 4 aprilis 1637, pontif. anno XIV.

DLXVII.

De constitutionibus clericorum regularium Minorum emendatis a congregatione episcoporum et regularium imposterum observandis, non obstantibus decretis Clementis VIII<sup>1</sup>.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Alias (postquam felicitis recordationis Clementis VIII praedecessor noster suo decreto seu decretis desuper editis districte praeceperat et mandaverat omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus et guardianis quibuscumque, ceterisque superioribus conventuum, monasteriorum, domorum et aliorum locorum regularium quorumcumque Ordinum, nonnullis tunc exceptis et in decretis huiusmodi expressis, ne, sub cuiusvis licentiae et facultatis impetratae vel impetrandae obtentu, nisi per litteras in forma

Clemens VIII prohibuit, quominus regulares ad habitum et professionem admittentur in domibus a se non approbatis.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.



Brevis dumtaxat et non aliàs, quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam conversos, nisi in conventibus, monasteriis et domibus, auctoritate eiusdem Clementis praedecessoris in unaquaque provincià designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere ullo modo auderent, sub certis tunc similiter expressis poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis, receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum seu decreta admissi fuissent, nullas et irritas esse ad quemcumque effectum ex tunc decreverat et declaraverat idem Clemens praedecessor; qui, excipiendo in eisdem decretis nonnullas alias religiones, ordinasse censebatur, ut dilecti filii praepositus generalis et alii superiores clericorum regularium Minorum nuncupatorum et illius instituti religiosi, tamquam non excepti, sub decreto seu decretis huiusmodi comprehenderentur)

Postmodum vero ab hac lege clericos regulares Minores excepti.

§ 2. Comperto postmodum, eosdem praepositum, superiores, ac religiosos laudabiliter progredi in vià mandatorum Domini, ac religiosae vitae exemplo, religiosisque exercitationibus aliis ad salutem prodesse, supplicationibus eorundem praepositi, aliorumque superiorum huiusmodi sibi humiliter porrectis inclinatus, per eius litteras in formà Brevis sub annulo Piscatoris die x martii mdc expeditas, eisdem praeposito generalis ac aliis superioribus clericorum regularium Minorum huiusmodi, ut novitios recipere, eisque habitum per eos gestari solitum exhibere, illosque, postquam novitiatum annum explevissent, ad professionem per eos emitti consuetam admittere, servatà tamen decretorum dicti Clementis praedecessoris desuper editorum ac aliarum constitutionum apostolicarum formà, libere et licite possent et valerent, licentiam et facultatem concessit; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus

apostolicis, ac praedictis suis decretis, et aliis quibuscumque in contrarium facientibus et prout latius in eisdem litteris, quarum tenores haberi volumus pro expressis, continetur.

§ 3. Cum autem, sicut dilecti filii modernus praepositus generalis et assistentes generales congregationis clericorum Minorum huiusmodi nobis nuper exposuerunt, licet ipsi, in vim praedictarum Clementis praedecessoris litterarum in formà Brevis, ut praefertur, expeditarum, novitios ad habitum absque domorum seu locorum regularium designatione huiusmodi, prout decreta praedicta requirunt, admiserint; nihilominus nonnulli dictae congregationis professores, sive observantiae vitaeque regularis minus amantes, sive nimio scrupulo ducti, voluerint et velint dubitare de validitate suarum professionum per eos a tempore dictorum decretorum emissarum, et actuum inde hucusque sequutorum, aut saltem usque ad tempus, quo constitutiones dictae congregationis per recolendae memoriae Paulum Papam V etiam praedecessorem nostrum in formà specificà, et praevià diligenti earundem constitutionum per venerabiles fratres nostros, tunc suos, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis episcoporum et regularium praepositos revisione, emendatae, approbatae et confirmatae fuerint, et, ab eo tempore quo supradicta Clementis praedecessoris praefati decreta per nos etiam approbata et innovata fuerunt, huiusmodi dubium seu haesitationem suam deduxerint et deducant ex vano praetextu, quod in dicto Brevis Clementis praedecessoris appositae sit haec clausula *servatà videlicet praefatorum decretorum formà*, quae quidem clausula, licet intelligi debeat quoad alia in praefatis decretis ordinata, non quoad ea quae sunt in eisdem decretis Clementis praedecessoris excepta, ne aliàs

Dubitantibus tamen nonnullis de sua professionis validitate ob non servatam primam decreti Clementini partem;

ipsius Clementis praedecessoris Brevis frustratorium fuisse detegatur, attamen illi, de professionum suarum validitate dubitare volentes, non modo non acquiescant, sed doctrinas et opiniones in contrarium disseminent in gravissimum divini cultus ac observantiae disciplinaeque regularis praeiudicium: nobis propterea praepositus generalis et assistentes generales praefati, ut his incommodis, imaginariisque dubitandi praetextibus, tam haecenus ortis, quam qui de cetero oriri possunt, mature obvietur, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicà digneremur.

Urbanus declarat ab ea lege exceptos fuisse clericos regulares Minores.

§ 4. Nos igitur, omnem dubitandi circa praemissa materiam praecedere, dictaeque congregationis quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, eosdemque praepositum generalem aliosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, certaque scientià ac maturà deliberatione nostris, ac de nostrae apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium declaramus, quod congregatio clericorum regularium Minorum praefata, post concessam ei a dicto Clemente praedecessore per suas in formà Brevis litteras huiusmodi licentiam et facultatem supra expressam, ex tunc de cetero in praefatis ipsius Clementis praedecessoris decretis comprehensa non fuit, quin potius excepta, et propterea a die datae litterarum praefatarum obligata non fuit habere loca regularia particularia pro novitiatibus fa-

ciendis; ideoque professiones postea in quibusvis domibus et locis regularibus eiusdem congregationis emissas a quibuslibet ipsius congregationis religiosi fuisse et esse validas, ac omnes et singulos, qui post datam praefati Brevis eiusdem Clementis praedecessoris professionem emisserint, vel imposterum emittent, ad quemcumque effectum, etiam in foro conscientiae, remansisse et remanere obligatos, eidemque religioni adstrictos;

§ 5. Insuperque mandamus constitutiones praefatas, ut praefertur, praevià emendatione et approbatione congregationis regularium per eundem Paulum praedecessorem confirmatas, imposterum esse inviolabiliter observandas;

Ab eisque servandas esse constitutiones editas tempore Pauli Papa V.

§ 6. Non obstantibus praefatis eiusdem Clementis praedecessoris decretis, etiam per nos approbatis et innovatis; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis quae dictus Clemens praedecessor in suis litteris praefatis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 21 aprilis 1637, pontif. anno XIV.

DLXVIII.

Quod capitulum generale congregationis clericorum regularium Ministran-

*tium Infirmis de sexennio in sexen-  
nium dumtaxat celebretur*<sup>1</sup>.

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius  
Constitutionis.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Matthaëus Mortuëllus, praepositus generalis, et consultores generales, et arbiter consultae congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis, quod, licet, iuxta congregationis constitutiones apostolicâ auctoritate confirmatas statutum sit, ut capitulum generale eiusdem congregationis quolibet sexennio celebretur, nihilominus a nonnullis asseritur, celebrationem capituli generalis huiusmodi ad triennium apostolicâ auctoritate reductam esse: quare, cum de tali reductione non constet, ut cuicumque difficultati, quae inde oriri posset, occurratur, et gravissimi sumptus quibus domus regulares et praesertim Romanae congregationis huiusmodi maximo suo cum detrimento gravarentur, si dictum capitulum generale tam saepe celebrandum foret, evitentur, nobis exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declarat ser-  
vari prout in  
rubrica.

§ 1. Nos igitur, congregationis et domorum praedictarum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum

<sup>1</sup> Hanc Congregationem approbavit Sixtus V in Constit. xxxv, *Ex omnibus*, tom. viii, pag. 669. Et quod capitulum celebretur quolibet sexennio aliâ statuit Clement. VIII in Const. ccxlviii (al. 238) *Superna*, tom. x, pag. 635.

praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attento quod non constat de capituli huiusmodi reductione praedictâ, capitulum generale praedictum de sexennio in sexennium dumtaxat iuxta dictas congregationis huiusmodi constitutiones celebrandum esse et celebrari, electionemque moderni generalis et aliorum officialium in capitulo generali congregationis huiusmodi novissime celebrato, aliâs canonice factam, iuxta formam constitutionum praedictarum per integrum sexennium durare debere, ac generalem et alios superiores in capitulis generalibus seu in consultâ generali eligi solitos, scilicet procuratorem generalem, provinciales et secretarium consultae praedictae, officia eorum per totum sexennium huiusmodi, servatâ tamen dictarum constitutionum dispositione, libere et licite exercere posse et valere, ita tamen ut litterae nostrae super modo et formâ eligendi generalem, consultores et arbitrum dictae congregationis, sub die xxix aprilis mdcxxviii emanatae omnino observentur;

§ 2. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

§ 3. Non obstantibus, quatenus extet, reductione praedictâ, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quo-

Decretum ir-  
ritans.

Contrariis  
derogat.

modolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiv aprilis mdcxxvii, pontificatus nostri anno xiv.

Dat. die 24 aprilis 1637, pontif. anno xiv.

### DLXIX.

*Confirmantur quaedam statuta et decreta pro bono regimine congregationis Galliae Ordinis fratrum Discalceatorum sancti Augustini*<sup>1</sup>.

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Pontifex car-  
dinalis Rupiful-  
cadium in prae-  
sidem capituli  
generalis huius-  
ce congrega-  
tionis deputaverat;

§ 1. Aliâs, supplicationibus dilecti filii Romualdi a S. Magdalenâ, tunc fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum congregationis Galliae in Romanâ curiâ procuratoris generalis, tam suo, quam tunc existentium vicarii generalis, definitorum et aliorum superiorum dictae congregationis nominibus, nobis humiliter porrectis inclinati, vicario generali praedicto capitulum generale dictae congregationis anticipandi licentiam concessimus, ac dilectum filium nostrum Franciscum, tituli S. Calixti presbyterum cardinalem de la Rochefoucault nuncupatum, in praesidentem dicti capituli illiusque causarum commissarium apostolicâ auctoritate deputavimus, cum facultate per se vel alium dicto capitulo praesidendi, ac praesertim faciendi et terminandi quaecumque necessaria iudicaret circa constitutiones et caeremonias essentielles eiusdem congregationis, divisionem et restrictionem provinciarum, aliisque facultatibus,

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

prout in diversis nostris desuper in simili formâ Brevis sub datum xv septembris mdcxxxv et xv ianuarii mdcxxxvi expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur<sup>1</sup>.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Archangelus a S. Mariâ Ægyptiacâ eiusdem congregationis in Romanâ curiâ procurator generalis nobis nuper exponi fecit, praedictus Franciscus cardinalis litteris huiusmodi inhaerens venerabiles fratres Leonorium Carnotensem et Dominicum Antissiodorensis episcopos in praesidentes dicti capituli, illiusque causarum commissarios, apostolicâ auctoritate sibi in hac parte commissâ, cum omnimodâ auctoritate, facultate et potestate sibi in dictis litteris attributâ substituerit; illique sic substituti, auditis omnibus et singulis religiosiis fratribus ex tribus provinciis ad capitulum convocatis, et cunctis eorum rationibus et sententiis mature discussis et ponderatis, pro Dei gloriâ et felici dictae congregationis statu et prospero eius regimine, quae sequuntur in Domino statuere, ordinare et publicare, antequam ad electiones procederetur, utile et necessarium duxerint et iudicaverint, videlicet:

Die ii iunii:

I. Tres provincias in Bullâ Pontificiâ nominatas, Provinciae scilicet, provinciae Franciae, et Delphinatus, in duas restringimus ob superiorum sufficientium et capacium praesentem necessitatem, itaut provinciae Franciae et Delphinatus unitantum subiaceant superiori provinciali usque ad annum mdcxlii, quo tempore capacium et idoneorum superiorum sufficiens erit copia ut praedictae provinciae scilicet Franciae et Delphinatus per se separatim sub proprio provinciali et defensorio subsistant;

<sup>1</sup> Ambae desunt (R. T.).

In eo capitulo  
sequentes con-  
stitutiones fa-  
ciunt efformatas.

Tres provin-  
ciae in duas re-  
ductae.

Facultatem  
que tribuerat  
novas pro bono  
eiusdem regi-  
mine constitu-  
tiones edendi.

De capitulis provincialibus. II. Imposterum quaelibet provincia capitulum provinciale singulis bienniis, et in medio biennii capitulum intermedium celebrabit;

De assistentibus; III. Tres erunt assistentes vicarii provincialis, scilicet unus ex provinciâ Provinciae, et alii duo ex provinciâ Franciae et Delphinatus, visitoribus generalibus extinctis utpote statui congregationis superfluis;

Electione superiorum matrum. IV. Pro hac vice tantum electiones vicarii generalis, duorum procuratorum, Romanae scilicet curiae et Franciae, trium assistentium, duorum provincialium et definitorum utriusque provinciae, prioris conventus Parisiensis et secretarii congregationis fient in hoc capitulo generali ab omnibus fratribus congregationis vocem secundum statuta habentibus;

Definitorio generali. V. Praesens definitorium generale, ultra duos praesidentes apostolicos, constabit vicario generali electo, deinde absoluto, tum duobus procuratoribus generalibus et tribus assistentibus, et, si eorum aliqui absentes fuerint, eligentur et substituentur canonice aliqui ex praesentibus fratribus ad supplendam eorum absentiam;

Electionibus praesentis capituli. VI. Ad requisitionem et instantiam omnium patrum capitularium reverendum patrem Archangelum a S. Mariâ Aegyptiacâ dispensavimus super sex circiter menses de triennii post professionem complemento ad sui procuratoris officii electionem;

Ultimo, quod, attentâ multitudine supradictorum fratrum in hoc conventu degentium, et ut quamcitus unusquisque ad suos possit redire conventus, electiones superiorum et aliorum officiorum localium fiant ante quascumque definitiones a patribus definitorii generalis ut supra a nobis ordinati:

Aliae constitutiones. Die vero xxiii iunii, praesidentibus supradictis episcopis, in definitorio generali canonice electi sint in superiores generales et provinciales, videlicet, in vicarium

generalem dictae congregationis, dilecti etiam filii, Hilarion a S. Ursulâ, et in procuratorem generalem curiae Romanae dictus Archangelus a S. Mariâ Aegyptiacâ, praeviâ dispensatione super triennio a professione, procurator generalis Franciae, tres assistentes, Provinciae scilicet, provinciae Franciae et Delphinatus, duo provinciales et ceteri eiusdem congregationis superiores et officiales, et praesertim Antonius a S. Magdalena in vicarium hospitii seu conventus Taulianensis: necnon sequentibus diebus et praesentibus episcopis praedictis in definitorio generali necessaria ad observantiam regularem, et alia pro eiusdem congregationis regimine statuta et definita sint, ut plenius in ipsis definitionibus et ordinationibus, in quatuor partes divisus, plenius dicitur contineri; et praesertim, quod vicarius generalis et provinciales, absoluto eorum officio, ineligibiles ad quodcumque officium habens votum remaneant usque ad proximum capitulum sive generale sive provinciale, quod etiam voluerunt habere locum in his, qui per duo capitula immediate subsequencia et completa ad aliquod officium habens votum promoti forent; ad officium tamen vicarii generalis possit eligi quicumque ex supradictis, excepto vicario generali absoluto; non poterit vicarius generalis sine consensu et consilio procuratorum generalium, quando praesentes erunt, et eius assistentium, nulli recipientur alterius religionis vel congregationis professi, neque illegitimi, vel aliâ infamiâ notati, sub poenâ nullitatis professionis; in capitulis provincialibus conclusiones, definitiones et decisiones fieri non possint, fient tamen propositiones ad capitulum generalem mittendae; praesidens capituli provincialis a vicario generali deputandus erit alterius provinciae; in provincialem poterunt eligi patres alterius provinciae;

quod si contigerit unum et eundem simul a duabus provinciis eligi, vicarius generalis cum assistentibus de provinciali alterius provinciae providebit; constitutiones necnon caeremoniale ad meliorem formam reducantur, et ad hoc nominati et deputati sint dictus pater Hilarion a S. Ursulâ vicarius generalis, pater Gelasius a nomine Iesu procurator generalis Franciae, pater Dionysius a S. Monica, pater Raphaël a Virgine Mariâ, pater Alipius etiam a Virgine Mariâ, assistentes generales, et approbari procurent:

Die verò iv iulii, visis et mature consideratis a supradictis praesidentibus electionibus superiorum et definitivibus<sup>1</sup> in capitulo conclusis, ea quae sequuntur pro maiori firmitate et robore decidenda et declaranda iudicaverunt:

I. Provinciam Provinciae primum locum inter provincias obtinere iuxta Breve apostolicum;

II. Electionem prioris Parisiensis fieri debere in capitulo provinciali, et in eo suffragari, non autem in capitulo generali;

III. Quod, non obstante restrictione duarum provinciarum, Franciae scilicet et Delphinatus, ac Provinciae, provincia Franciae et Delphinatus suos distinctos officiales generales habeat per Breve Apostolicum concessos, quasi essent sub distinctis provincialibus gubernatae;

IV. Quod definitio, qua prohibetur divisionem provinciarum imposterum fieri posse, nisi ad minus sint octo conventus, sit sine praeiudicio harum duarum provinciarum, quas anno MDCXLI manere distinctas per praesentes declaramus, licet pro tunc in qualibet ipsarum fuerint tantum quinque conventus:

Has lege: procurator generalis perit confirmari. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa, ab eisdem praesidentibus et definitorio generali, ut prae-

<sup>1</sup> Vel leg. definitorum, vel definitionibus (R. T.).

fertur, ordinata, facta et decreta, subinde per eundem Franciscum cardinalem sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito sub die i mensis iulii anni MDCXXXVI confirmata et approbata fuerint; firmiora vero sint ea, quae nostro et Sedis Apostolicae munimine et patrocinio roborantur; proptereaque dictus archangelus plurimum cupiat illa per nos et Sedem Apostolicam approbari et confirmari, aliaque infrascripta fieri atque ordinari: nobis propterea dictus Archangelus, tam suo, quam dicti Hilarionis a sanctâ Ursulâ moderni vicarii generalis, ac assistentium, aliorumque dictae congregationis superiorum nomine humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 4. Nos igitur, dicti Archangeli votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeserta decreta, necnon electiones, etiam per viam concordiae, ut praefertur, factas<sup>1</sup>, et ordinationes huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adii-cimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum et alios quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; decreta vero et ordinationes dicti capituli generalis praesentibus litteris non expressa, dummodo illa licita sint et honesta, sacrisque canonibus et Concilii

Ratas habet Urbanus.

<sup>1</sup> Edit. Main. legit factae (R. T.).

Tridentini decretis, regularibusque dictae congregationis institutis non adversentur, auctoritate et tenore praedictis, etiam approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus;

Praescribit methodum tenendam, si quod dubium super praesentibus declarationibus observatur.

§ 5. Praeterea, supervenientibus quibuslibet difficultatibus pro expositione vel declaratione definitionum aut statutorum, statuimus et ordinamus, quod de cetero dispositio et declaratio huiusmodi ad vicarium generalem unam cum procuratoribus generalibus, si adsint, et tribus eiusdem vicarii assistentibus tantum, cum inhibitione expressa omnibus et singulis aliis fratribus eiusdem congregationis cuiuscumque conditionis, ne illis se immisceant, sicut et omnium eorum, quae pro tempore extra etiam capitulum generale ordinanda fuerint, spectare et pertinere debeant;

Alias quoque dat leges.

§ 6. Et insuper, quod duo vel plures in primo vel secundo gradu consanguinei, vel affines nullatenus simul conveniant et votare possint, et multo minus definitorium simul ingredi et concurrere, etiam ad tertium usque gradum, eodem biennio vel triennio valeant, uti plenius continetur in Constitutione felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, datae Romae, die xxviii februarii mdcxcvi; quod vicarius generalis unam cum patribus procuratoribus, si sint praesentes, ac tribus assistentibus, patrem aliquem senem, aut infirmum, et alias superiorem, licet non quinquagenarium, qui in regimine vitae innocentiam se laudabiliter gesserit, ad quascumque commisiones generales, provinciales, conventuales et particulares eligere et promovere, necnon, si opus sit, in necessariis cum illo ad ea quae illi pro tempore committentur exequenda dispensare valeant; quod dilectus etiam filius Ambrosius a S. Monica eiusdem congregationis professor in

provincia et conventu sibi a superioribus assignata remaneat, non obstante mansione sibi per dictas litteras assignata, attento, quod huiusmodi gratiae ipse renunciavit; quod divisio provinciarum Franciae et Delphinatus in unam tantum restrictarum non intelligatur dilata usque ad annum mdcxlii, si proximum capitulum generale celebrandum Avenione anno mdcxxxix feria vi ante festum sancti Michaelis Archangeli dictas provincias Franciae et Delphinatus separatim subsistere posse, et pro bono dictae congregationis expedire iudicaverit; quo casu in dicto capitulo, anno mdcxxxix, provinciales et quatuor definitores eligantur, et a definitorio generali ceteri superiores provinciae Franciae; praeterea, quod non possit provincialis quemlibet omnino fratrem extra suam provinciam mittere, nisi praevia obedientiam vicarii generalis ab eo in scriptis obtenta, sub poenam suspensionis ac privationis officii ipso facto statuimus et ordinamus; Insuper, nunc et pro tempore existenti sanctae Romanae Ecclesiae cardinali dictae congregationis protectori praedictas constitutiones et caeremoniales, postquam, ut praefertur, condita fuerint, apostolica auctoritate approbandi facultatem, dicta auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur, ita tamen ut fratres dictae congregationis illis non utantur, nisi postquam approbatae fuerint; postremo quasdam litteras apostolicas in simili forma Brevis, sub datum xiiii iunii mdcxxxvi, super declaratione mentis nostrae quoad divisionem provinciarum huiusmodi editas, dictoque Francisco cardinali directas, executioni nondum demandatas, cum omnibus in eis contentis, auctoritate et tenore praedictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus et irritamus, ac pro revocatis, cassatis, annullatis et irritis, haberi et censeri debere volumus; demum, ut imposte-

rum omnes dictae congregationis fratres cum pace et quiete omni in Domino vivere possint, omnibus et singulis superioribus, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existant, ceterisque dictae congregationis religiosi sub excommunicationis aliisque poenis praecipimus et mandamus, ut omnes processus, informationes, litteras, communes aut particulares, accusationes, et similia huiusmodi, tam in visitationibus generalibus, quam in provincialibus et particularibus receptas et factas a principio dictae congregationis usque ad dictum capitulum generale, dilacerent et comburant, iniungimus, praecipimus, atque mandamus, perpetuumque eis super hoc silentium, ita ut imposterum nullus superior aut inferior praedictis accusationibus, processibus et similibus, sub quovis praetextu, aut quaesito colore uti possit, imponimus;

§ 7. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus singulis litteris nostris praedictis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in eisdem voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

In prioris generalis Ordinis tuetur.

§ 9. Volumus autem, quod in praemissis auctoritati prioris generalis Ordinis sancti Augustini in aliquo non censeatur praedictum, sed quod remaneat salva in omnibus et per omnia, iuxta concordiam alias inter dictum priorem generalem et eosdem fratres Dircaecos congregationis Galliae initam, et a nobis per nostras

<sup>1</sup> Aptius lege recepta et facta (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XIV.

75

litteras in forma Brevis expeditas, sub datum die xxi iulii mdcxxxviii quae incipit: *Ex iniuncti*, etc., confirmatam et approbatam.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii aprilis mdcxxxviii, pontificatus nostri anno xiv.

Dat. die 28 aprilis 1637, pontif. anno xiv.

DLXX.

*Facultas alienandi usque ad summam ducentorum et quinquaginta millium scutorum monetae, necnon reducendi annuos census ad minus interusurium, concessa Congregationi Cassinensi.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, praedictae Congregationis illiusque regiminis nomine, quod ob malas temporum condiciones, damna, detrimenta atque incommoda per eandem Congregationem accepta ratione bellorum, incursus militum, et destructionis aedificiorum in bonis eiusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quae bona ex parte eiusdem Congregationis praedia inculta reddiderunt, necnon graves solutiones, quae pro summa quadraginta trium circiter millium scutorum quotannis per dictum procuratorem fiunt, ratione diversorum subsidiorum, Sedis Apostolicae, monasteria dictae Congregationis, ob defectum suorum reddituum, ad praesens sunt adeo oppressa, ut illorum nonnulla iam ruinis eversa, et se sublevare impotentia reddita sint, aliis vero eadem ruina impendat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per nos provideatur, prout alias per Romanos Ponti-

<sup>1</sup> Aptius lege Sedi (R. T.).

Motiva petitionis.



fices praedecessores nostros monasteriis huiusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, et praesertim per Pium V, qui, similes et forsitan minus urgentes ob causas, per quasdam suas sub die XIX martii MDLXX duodecim congregationibus regularium tunc expressis bona stabilia pro summâ quadringentorum millium scutorum auri, quorum centum et triginta tria millia dictae congregationi Cassinensi pro suâ ratâ obtigerunt; et postmodum, quia summa huiusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die V octobris MDLXXI in simili formâ Brevis respective expeditas litteras eidem Congregationi Cassinensi bona stabilia pro aliâ summâ quinquaginta millium scutorum aureorum vendendi facultatem respective concessit; eoque modo damnis et periculis monasteriis dictae congregationis tunc temporis imminentibus opportune occursum fuisse, eademque monasteria notabilem exinde subventionem percepisse, experientiâ compertum est.

Concedit pro-  
ut in rubrica.

§ 2. Nobis propterea dictus procurator quo supra nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et aliâs ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur. Nos igitur, dictae Congregationis et illius monasteriorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, necnon praedictarum dicti Pii V praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, abbatibus monasteriorum dictae Congregationis, quae

praedictis et aliis maioribus necessitatibus ad praesens gravata reperiuntur, ut, cum approbatione tamen dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati, S. R. E. vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac praedictae congregationis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, ac licentiâ regiminis dictae Congregationis, ea praedictae congregationis bona stabilia, quae pro liberandâ ab aere alieno congregatione praedictâ restorationibusque necessariis et utilibus in eius bonis faciendis magis opportuna fuerint iudicata, usque ad summam in totum ducentorum et quinquaginta millium scutorum monetae, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatisque modis et formis in praedictis Pii V praedecessoris nostri litteris contentis et iuxta illarum tenores et continentias, vendere, distrahere, atque alienare, sive in emphyteusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentiâ Sedis Apostolicae impositos cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenariio et anno sive minori interusurio obnoxiiis super eodem fundo accipiendis et cum conditionibus in priori instrumento appositis redimere (ita tamen ut praesentes aliis eiusdem Congregationis monasteriis minime suffragentur, quam iis dumtaxat quae ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integre concurrerunt et concurrunt) libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae II etiam praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis et Ordinis et monasteriorum praedictorum

Derogatio  
contrariorum.

etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque omnibus, quae dictus Pius V praedecessor noster in praedictis suis litteris voluit non obstare, ac aliis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 19 iunii 1637, pontif. anno XIX.

### DLXXI.

*Contra eos qui, mentito nomine vel cognomine, adhuc primâ uxore vivente, ad secundas nuptias transeunt<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Magnum in Christo et in Ecclesiâ matrimonii sacramentum, ut vitae est legitima inter virum et feminam indissolubilis societas, in qua ex pari consensu semetipsum alter alteri debet, ita gravibus, debitisque poenis corripiendi sunt ii, qui mandatorum Domini immemores, et prohibita propriae salutis ratione, sacrosanctas huiusmodi sacramenti leges violare non verentur.

Nonnulli mentito nomine seu cognomine ad secundas nuptias transeunt, vivente primâ uxore.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine magnâ animi nostri molestiâ accepimus, ii iniquitatis filii reperiantur, qui sub mentito nomine seu cognomine adhuc primâ uxore vivente ad secundas nuptias transire audent:

Ad quod scandalum magis arcendum Pontifex, ultra solitas poenas, etiam ad trirames, fustigationem et alias poenas damnari

§ 2. Nos, nefariam improborum hominum huiusmodi temeritatem iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, quantum cum Domino possumus, reprimere volentes, habitâ prius super

<sup>1</sup> Anathematis poenam dicentibus, quod christianis plures habere uxores liceat, imposuit Concil. Trident. *De sacros. matrim.*, sess. XXIV, can. 2. Idemque prohibitum asserit Innoc. III, cap. *Caudemus*, § *Nec ulli*, De divortiiis.

hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus ab hac Sanctâ Sede deputatis deliberatione maturâ, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione decernimus, ut huiusmodi sic delinquentes, ultra poenas quibus ipsi ordinarie puniri solent, damnentur ad triremes in perpetuum: quod si inhabiles reperti fuerint, publice fustigentur et damnentur ad carceres in perpetuum; si vero pro qualitate, enormitate delicti graviore poenas meruerint, etiam curiae seculari arbitrio eorundem praefatae congregationis cardinalium puniendi tradantur.

huiusmodi nefarios homines decernit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, Clausulas praeservativas ad-  
omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi, minusque causae propter quas eadem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliâs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis<sup>1</sup> vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concessio quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis et faciendis comprehendendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas,  
1 Edit. Main. legit *invalidatis* (R. T.).

firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Ita iudicari praecipit, ac contrariis derogat.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos et nuntios ac alios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus quibuscumque.

Mandat hanc Constitutionem publicari in Urbe et publicatam omnes ligare.

§ 5. Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eadem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, ac, cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et aretent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent;

Ac eius transumptis fidem dari.

§ 6. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iunii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 20 iunii 1637, pontif. anno XIV.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVII, die vero xx mensis iunii, supradictae constitutiones affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae Lateranensis, Principis apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae et in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, ut moris est per me Antonium Bardum apostolicum cursorem.

IULIUS MARZITELLINI, mag. curs.

DLXXII.

*Fratres Discalceati Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Barchinonenses absolvuntur a censuris, in quas incurrerant ob petitam regii consilii opem<sup>1</sup>.*

Dilecto filio magistro Ioanni Iacobio Panziolo, cappellano nostro et causarum sacri palatii apostolici auditori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Aliâs nos per nostras in simili formâ Brevis litteras sub die xxix decembris MDCXXX expeditas dilectis filiis fratribus Discalceatis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum congregationis Hispaniarum unum conventum in civitate Barchinonensi, etiamsi consensus aliorum conventuum eiusdem civitatis ad hoc minime accederet, et aliâs sub certis modo et formâ tunc expressis, erigendi facultatem concessimus, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur<sup>2</sup>.

§ 2. Cum autem subinde, praefatis litteris per dilectum filium Honuphrium a S. Thoma ministrum conventus Caesaraugustani dicti Ordinis coram vicario

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Quae in Bullario non sunt (R. T.).

Pontifex his fratribus facultatem concesserat conventum Barchinonae erigendi, quamvis aliorum conventuum non accederet consensus.

Suborâ tamen hie fratres assistentiam consilii petierunt.

capitulari ecclesiae Barchinonensis, illius sede episcopali tunc vacante, legitime deputato praesentatis, et ab eodem vicario ex voto capituli Barchinonensis, praecedente etiam communitatis et hominum dictae civitatis consensu, mediante publico consilio, obtentâ licentiâ, conventus huiusmodi cum ecclesiâ constructus fuerit; post illius autem erectionem, rector et operarii ecclesiae parochialis B. Mariae de Pinu nuncupatae, intra cuius parochiae limites conventus huiusmodi constructus fuit, a vicario generali, dictâ Sede episcopali vacante, obtinuissent de facto ab ecclesiâ dicti conventus sanctissimum sacramentum amoveri, et ad dictam parochialem ecclesiam asportari, et altare demoliri, dictusque Honuphrius, ad nostrum et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum commorantem nuncium habito recursu, probatâque dictorum fratrum pacificâ possessione, mandatum de manutenendo desuper obtinuisset; licetque dictus Honuphrius potuisset de facto possessionem huiusmodi continuare, et in eâ in vim dicti mandati se se defendere: nihilominus, ad maiorem cautelam, ac pro semovendis rumoribus et scandalis exinde forsitan orituris, a regio consilio assistentiam sibi concedi petiit; cumque ad illam impediendam praefati rector et operarii aliique procuratores aliorum conventuum ac etiam dictae civitatis syndicus se se opposuissent, proptereaque ad plures actus coram iudice a dicto regio consilio deputato deventum fuisset, tandem dicto Honuphrio petita assistentia concessa fuit.

Liteque ad romanam rotam deducta pars adversa opposuit fratribus, quod in censuras incurrerint ob praefatam petitam assistentiam.

§ 3. Cum autem a praefato decreto manutentionis ab eodem nostro dictaeque Sedis nuncio, ut praefertur, emanato fuerit pro parte eorundem rectoris et operariorum appellatum, causaque appellationis huiusmodi ad rotam devoluta, tibi commissa, dicti adversarii pro impediendâ causae huiusmodi expeditione opposuerint

dilectum filium Ioannem de Annunciatione fratrum praefatorum procuratorem generalem, et pro eis comparentem nomine dictae religionis, minime audiendum esse, ex quo dictus Honuphrius petendo dictam assistentiam in excommunicationis poenas per sacros canones recurrentibus ad iudices laicos inflictas inciderit; et licet existimetur per petitam assistentiam huiusmodi dici non posse petitum recursum ad iudicem laicum, cum illa sit quasi imploratio brachii secularis a sacris canonibus permessa, proptereaque excommunicationis poenas nullatenus incursum fuisse: nihilominus, ad omnem dubitandam materiam a medio removendam, ac pro maiori conscientiae quiete, nobis humiliter supplicari fecit dictus Ioannes procurator generalis, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 4. Nos igitur, dictum Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iuris vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constituto tibi legitime de praemissis, praefatum Honuphrium et alios quoscumque, si qui forsitan ob petitam assistentiam et alios actus in dicto regio consilio factos in excommunicationem incurrerint, renunciato prius per eos attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis factis, ac iniunctâ eis et eorum cuilibet arbitrio tuo poenitentia salutari, ad cautelam, licet absentes, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, per eos et eorum quemlibet quomodolibet incuris, aucto-

Pontifex eos absolvi ab auditore camerae committit.

ritate nostrâ apostolicâ absolvas, et totaliter liberes, dictasque poenas eis gratiose remittas et condones, ac omnia et singula gratias, favores et privilegia dictis fratribus in favorem erectionis praefati conventus Barchinonensis concessa, ipsasque erectionem iam factam et possessionem ut praefertur captam confirmes et approbes, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet inter-  
venerunt, suppleas.

*Contrariis derogat.* § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii iunii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.  
Dat. die 28 iunii 1637, pontif. anno XIV.

## DLXXIII.

*Quod de cetero non liceat, pro licentiis laborandi diebus festivis ab episcopo Carthaginensi concedendis pro praeparatione et manutentione artis scribae a mense martio usque ad eius integram confectionem, quidquam exigere.*

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut dilecti filii communitas et homines oppidi Murciae Carthaginensis dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, ipsis, qui, ut asserunt, quotannis a mense martii per totum mensem iunii, atque etiam sub principium iulii sese in praeparatione confectioneque setae exercent, necesse sit praeparationem et confectionem huiusmodi etiam in diebus festivis interim occurrentibus exercere, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi super licentiis propterea concedendis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolutos et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Ecclesiae cardinalium negotiis episcoporum praepositorum consilio, tenore praesentium, nullatenus licere, pro licentiis diebus festivis ab episcopo concedendis pro praeparatione et manutentione artis scribae a mense martii usque ad totalem illius confectionem de mense iulii, nihil prorsus vel minimum exigi debere, licentias huiusmodi gratis omnino concedendas, atque ita de cetero inviolabiliter tenendum observandumque fore et esse, apostolicâ auctoritate decernimus et declaramus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,

<sup>1</sup> Deesse videtur aliquid exigere. sed (R. T.).

*Communitatis Murciae praesca.*

*Decretum, de quo in rubrica.*

rem, sub annulo Piscatoris, die xxx iunii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 30 iunii 1637, pontif. anno XIV.

## DLXXIV.

*Restitutio seu erectio cathedrae praxis medicinae in romano gymnasio.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

*Necessitatem utilitatemque huius cathedrae refert.*

§ 1. Cum, sicut accepimus, publicum almae Urbis nostrae gymnasium praxis artis medicinae cathedrâ dudum in eo constitutâ multis annis superiorum incuriâ caruerit, nos, considerantes Altissimum de terrâ procreasse ad solamen generis humani medicamenta, artem vero curandi homines media ex philosophiae principis<sup>1</sup> et fontes suos petere, qui deinde particularibus medicinae praeceptis illustrantur et confirmantur, operae pretium nos facturos existimavimus, si praxis artis medicinae cathedra huiusmodi sollicitudinis nostrae ministerio in eodem gymnasio restitueretur, et, quatenus opus sit, de novo erectae de tali personâ provideatur, cuius insignis doctrina, atque eruditio, necnon spectata longâ annorum serie experientia, nedum in hac almâ Urbe nostrâ, sed multis aliis in civitatibus et locis, conspicuam celebremque reddiderunt.

*Eamque restitui cum privilegiis et annua pensione.*

§ 2. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unam in praedicto almae Urbis nostrae gymnasio praxis artis medicinae cathedram pro uno ipsius artis medicinae lectore et professore cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, etiam speciali notâ et expressione dignis, quibus aliarum scientiarum sive disciplinarum in dicto gymnasio cathedratici, le-

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Forsan legendum *principiis* (R. T.).

ctores et professores de iure, usu, statuto, consuetudine, aut ex concessione apostolicâ, vel aliâs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, necnon provisione annuâ quadringentorum et quinquaginta scutorum monetae e pecuniis quae lectoribus dicti gymnasii assignatae sunt et e gabellâ studii dictae Urbis exiguntur, nec ad praesens alteri applicatae existunt, desumendâ et persolvendâ, tenore praesentium restituimus, et, quatenus opus sit, de novo erigimus et instituimus.

§ 3. Praeterea dilecti filii Thaddaei Colliculae, canonici basilicae Principis Apostolorum de Urbe, medici secreti ac familiaris continui commensalis nostri, praeclarae<sup>1</sup> in arte praedictâ eruditionis, experientiae et doctrinae, necnon obsequiorum, quae nobis summâ cum diligentia et probatâ fide nullis parcendo laboribus multos annos praestitit, et adhuc etiam ingravescente et valetudinariâ aetate suâ huiusmodi assidue nobis praestat, condignam rationem habentes, eundem Thaddaeum in lectorem primarium praxis artis medicinae huiusmodi in eodem gymnasio cum honoribus, privilegiis, gratiis et indultis, necnon provisione annuâ quadringentorum et quinquaginta scutorum monetae huiusmodi, quoad vixerit, apostolicâ auctoritate, eundem tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus; illeque artem medicinae praedictam in dicto gymnasio unquam nisi eius arbitrio et ad suae voluntatis liberum beneplacitum legere teneatur, nec a quoquam quavis auctoritate fungente ad legendum adstringi possit, auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis, aliisque

*Ei Thaddaeum Colliculam praeficit.*

<sup>1</sup> Edit. Main. legit *praeclara* (R. T.).

arbitrii nostri poenis, ut eundem Thadaeum ad cathedram praxis artis medicinae huiusmodi iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, eique de provisione annua quadringentorum et quinquaginta scutorum huiusmodi suis congruis temporibus respondeant et responderi curent et faciant realiter et cum effectu.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac gymnasii et Urbis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibus-cumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv iulii MDCXXXVII<sup>1</sup>, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 15 iulii 1637, pontif. anno XIV.

DLXXV.

*Facultas nuncio Sedis Apostolicae Neapoli concordandi cum eadem civitate et populo nomine cleri super modo exigendi ab eodem clero augmentum cuiusdam vectigalis<sup>2</sup>.*

Dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis nuncio,  
Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,  
salutem et apostolicam benedictionem.

Communitas Neapolitana facultatem petit augendi quoddam vectigal ab ecclesiasticis quoque solvendum ita ut rata postmodum eis restituatur.

§ 1. Exponi<sup>3</sup> nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis Neapolitanae, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, in variis eius urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinae frumenti et germani<sup>4</sup> ad tredecim grana in diversis vicibus et temporibus auxerunt, quod quidem augmentum tredecim granorum pro quolibet tumulo huiusmodi in eadem civitate Neapolitana eiusque suburbiis, districtu et casalibus, accedente nostra et Sedis Apostolicae licentia, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis civitatis, suburbiorum ac districtus et casalium praefatorum ad evitandas fraudes exigere, eidemque clero et personis ecclesiasticis certam ratam restituere intendunt. Unde, cum eosdem communitatem et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis praefatis devenire necesse sit, nobis propterea communitas et homines praefati humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

§ 2. Nos igitur, cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi indemnitati pro nostro pastoralis officii debito, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ac de tuis singulari fide, prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi, ut super augmento tredecim granorum pro tumulo huiusmodi ut praefertur facto, illiusque exactione in vim licentiae per te illis concedendae faciendae, cum eisdem communitate et hominibus, ratione ratae dictum clerum et personas ecclesiasticas tangentes, nomine cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi transigere et concordare, ac quas-cumque scripturas desuper necessarias et opportunas confici facere libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Pontifex facultatem nuncio concedit cum eadem communitate transigendi.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vii augusti MDCXXXVII, anno xv.

Dat. die 7 augusti 1637, pontif. anno xv.

Et obstantia tollit.

<sup>1</sup> Edit. Main. legit 1737 (R. T.).

<sup>2</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>3</sup> Similem Const. vide supra pag. 482 (R. T.).

<sup>4</sup> Nescio an legendum grani (R. T.).

DLXXVI.

*Praedictas pecunias clero Neapolitano restituendas addicit fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Refert, quae praescriptis in praecedenti constitutione.

§ 1. Hodie<sup>2</sup> (pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Neapolitanae nobis exposito, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, in variis eius urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinae frumenti et germani ad<sup>3</sup> tredecim grana in diversis vicibus et temporibus auxerant, et augmentum tredecim granorum pro tumulo huiusmodi in eadem civitate Neapolitana, eiusque suburbiis, districtu et casalibus, accedente nostra et Apostolicae Sedis licentia, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis civitatis, suburbiorum, ac districtus et casalium praefatorum, ad evitandas fraudes, exigere, eidemque clero et personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, et propterea eosdem communitatem et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis devenire necesse erat) dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolis commoranti nuncio per nostras in simili forma Brevis expeditas litteras commisimus<sup>4</sup>, ut super augmento tredecim granorum pro quolibet tumulo huiusmodi ut praefertur facto, illiusque exactione in vim licentiae a dicto nuncio illis concedendae faciendae, cum eisdem communitate et hominibus ratione ratae dictum clerum et personas ecclesiasticas tangentes

nomine cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi transigere et concordare ac quas-cumque scripturas desuper necessarias et opportunas confici facere libere et licite possint et valeant<sup>1</sup>, apostolica auctoritate facultatem concessimus et impertiti sumus, et alias prout in praedictis aliis nostris in eadem forma Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberior continetur.

§ 2. Nos, fabricae<sup>2</sup> Principis apostolorum de Urbe iam diu coeptae extractionem, quae multis subsidiis ob ingentes sumptus indiget, aliquando consummari cupientes, praedecessorum nostrorum, qui ratas gabellarum, quae ab eisdem clero et personis exiguntur, et iisdem redduntur, variis Apostolicae Sedis sublevandis necessitatibus attribuerunt, vestigiis inhaerentes, motu proprio, ac ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quas-cumque pecuniarum summas, quae ex rata augmenti gabellae trium carolenorum pro tumulo farinae, frumenti et germani ad tredecim grana ab ecclesiasticis personis secularibus et cuiusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim litterarum nostrarum huiusmodi exigentur et eis reddentur, seu exigi et reddi debent (quarum quantitatem, quantumcumque sit, praesentibus etiam pro sufficienter expressa haberi volumus), praefatae fabricae tenore praesentium applicamus, ac pecuniarum summas huiusmodi ad usum dictae fabricae exigi, et in eum converti volumus.

Nunc summam clero restituendam applicat fabricae basilicae Vaticanae.

§ 3. Quocirca eidem nuncio tantum praesentes committimus et mandamus, ut praedictas pecuniarum summas ex rata augmenti gabellae trium carolenorum pro tumulo farinae, frumenti et germani ad

Eique committit easdem pecunias tradere personis ad id deputatis.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Similem Const. vide supra pag. 483 (R. T.).

<sup>3</sup> Perperam ed. Main. legit, et pro ad (R. T.).

<sup>4</sup> Verbum commisimus praeter rem est (R. T.).

<sup>1</sup> Legendum possit et valeat (R. T.).

<sup>2</sup> Adde ex lec. parall. basilicae (R. T.).



tredecim grana exigat, et summas huiusmodi personis a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eidem fabricae praefectis declarandis pro dictae fabricae sumptibus consignet. Nos enim illi praemissa faciendi, et quasvis personas ad easdem summas illi persolvendas omnibus iuris et facti remediis ac censuris et poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi et compellendi, auxilium brachii secularis, quatenus opus foret, invocandi, plenam et liberam facultatem, earumdem tenore praesentium, concedimus et imper-

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac regulam nostram de iure quaesito non tollendo, necnon omnibus illis, quae in litteris praefatis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 7 augusti 1637, pontif. anno XV.

DLXXVII.

*Sequitur concessio facultatum nuncio apostolico ea peragendi, quae in praecedentibus constitutionibus statuta leguntur.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Refert datum a se facultatem nuncio apostolico transigendi cum populo super restitutione clero faciendam augmenti vectigalis.

§ 1. Hodie<sup>1</sup> (pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Neapolitanae nobis exposito, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, in variis eius urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinae frumenti et germani ad

<sup>1</sup> Male in loc. parall. lectum fuit *illa* (R. T.).

<sup>2</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>3</sup> Similem vide supra pag. 486 (R. T.).

tredecim grana in diversis vicibus et temporibus auxerant, et augmentum tredecim granorum pro tumulo huiusmodi in eadem civitate Neapolitana, eiusque suburbiis, ac districtu et casalibus, accedente nostra et Apostolicae Sedis licentia, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis civitatis, suburbiorum et districtus ac casalium praedictorum, ad evitandas fraudes, exigere, ac eisdem clero et personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, et propterea eosdem communitatem et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis praefatis devenire necesse erat) dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis commoranti nuncio per nostras in simili forma Brevis expeditas litteras commisimus, ut super augmento tredecim granorum pro quolibet tumulo huiusmodi ut praefertur facto, illiusque exactione in vim licentiae a dicto nuncio illis concedendae faciendae, cum eisdem communitate et hominibus ratione ratae per eos dictis clero et personis ecclesiasticis ad evitandas fraudes ut praefertur restituendae nomine cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi transigere et concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias et opportunas confici facere libere et licite possit et valeat, apostolica auctoritate facultatem concessimus et impertiti sumus;

§ 2. Et per alias nostras in eadem forma Brevis litteras, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque pecuniarum summas, quae ex rata augmenti gabellae trium carolenorum ad tredecim grana huiusmodi ab ecclesiasticis personis secularibus et cuiusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim litterarum nostrarum huiusmodi exigenter et eis redderentur, seu exigi et reddi deberent,

Summamque clero restituendam fabricae basilicae Vaticanae applicasse.

quarum quantitatem, quantacumque esset, pro sufficienter expressa haberi volumus, fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe applicavimus, ac pecuniarum summas huiusmodi ad usum dictae fabricae exigi et in eum converti volumus, et alias, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Nunc eidem nuncio dat facultatem communitatem a censuris absolvi, quatenus, ante obtentam licentiam, dictum vectigal exegerit ab ecclesiasticis.

§ 3. Quocirca, applicationem summarum pecuniarum huiusmodi ex rata augmenti gabellae per nos ut supra factam approbantes et confirmantes, eidem nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis nuncio per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem communitati et hominibus gabellam huiusmodi ut praefertur augendi, sive auctam approbandi, illamque a quibusvis personis ecclesiasticis etiam regularibus quantumvis exemptis exigendi et habendi licentiam concedat; propterea, si et postquam communitas et homines praedicti ratam ex augmento gabellae huiusmodi per eos ab ecclesiasticis absque nostra et huius sanctae Sedis licentia exactam eidem fabricae eiusque ministris et deputatis totaliter et cum effectu persolverint et consignaverint, eosdem communitatem et homines a quibusvis excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per eos praemissorum occasione quomodolibet incursis, imposita eis et eorum cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari, auctoritate nostram absolvat.

Pecuniasque fabricae Vaticanae tradendi.

§ 4. Insuper eidem nuncio nostro per praesentes similiter committimus et mandamus, ut praefatas pecuniarum summas per nos eidem fabricae ut praefertur applicatas ex rata augmenti gabellae huiusmodi integre exigat, et summas huiusmodi personis a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eidem fabri-

<sup>1</sup> Quas vide paulo ante relatas (R. T.).

<sup>2</sup> Edit. Main. legit *eius* (R. T.).

caae praefectis declarandis pro dictae fabricae sumptibus consignet.

§ 5. Nos enim praemissa faciendi, et quasvis personas ad easdem summas easdem persolvendas omnibus iuris et facti remediis ac censuris et poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi et compellendi, auxiliumque brachii secularis, si etiam opus fuerit, invocandi, plenam et liberam facultatem, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et impertimur.

Opportunasque ad id facultates elargitur.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac regulam nostram de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 7 augusti 1637, pontif. anno XV.

DLXXVIII.

*Committit auditori camerae ut episcopum Calaguritanum absolvat a censuris, si quas incurrit ob recursum per promotorem fiscalem suae curiae factum ad iudices laicos.*

Dilecto filio Ioanni Panzirolo, causarum palatii apostolici auditori,  
Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,  
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nuper pro parte venerabilis fratris Gundisalvi episcopi Calaguritani nobis expositum fuit, quod a multis annis lis et causa in sacro Rotae Romanae auditorio pendet indecisa de et super iurisdictione ecclesiarum S. Crucis et S. Michaelis oppidi civitatis nuncupati de Nagera contra abbatem et monasterium S. Mariae. Ordinis sancti Benedicti eiusdem oppidi, in

Episcopus Calaguritanus petit provideri, ne recursum per promotorem fiscalem suae curiae ad tribunal laicum factus in quadam causa sibi occurrat, quatenus in sacra rota aliis in causa audiatur.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brevium.

eaque saepe saepius resolutum fuit, ap-  
probationem confessorum in ecclesiis  
huiusmodi ad dictum episcopum spectare.  
Cum autem de novo disputandum esset  
dictum dubium coram te, praefatusque  
abbas opposuisset, quod tempore Petri  
Castelli episcopi Calaguritani, dicti expo-  
nentis praedecessoris, mediante quodam  
suo procuratore fiscali recursum fuisset  
ad iudices laicos ad effectum impediendi,  
ne quidam Thomas a Guevara, presbyter  
dictae dioecesis, e carceribus emanciparetur  
in vim cuiusdam mandati a metropo-  
lita Burgensi relaxati, quodque recursus  
huiusmodi dicto exponenti noceret: licet  
ipse eo nunquam usus fuerit, nec uti in-  
tendat, illique expresse in actis renuncia-  
verit, minusque probetur dictum Petrum  
episcopum eius praedecessorem recursum  
praefato usum fuisse, ab eoque datum  
fuisse mandatum aliquod speciale ad re-  
currendum, cum id, ut praesupponitur,  
nomine promotoris fiscali emanaverit;  
nihilominus, pro potiori cautela, et ad ef-  
fectum nedum in praefata, sed in aliis,  
quas in eodem sacro rotae tribunali sus-  
tinet, causis ad ulteriora procedendi, di-  
ctus exponens nobis humiliter supplicari  
fecit, ut sibi in praemissis opportune, ut  
infra, providere de benignitate apostolica  
dignaremur.

§ 2. Nos igitur, illum specialibus favo-  
ribus et gratis prosequi volentes, et a  
quibusvis excommunicationis, suspensio-  
nis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-  
tentiis, censuris et poenis, a iure vel ab  
homine, quavis occasione vel causa latis,  
si quibus quomodolibet innodatus existit,  
ad effectum praesentium dumtaxat conse-  
quendum, harum serie absolventes, et ab-  
solutum fore censentes, huiusmodi sup-  
plicationibus inclinati, tibi per praesentes  
committimus et mandamus, quatenus, con-  
stituto tibi legitime de praemissis, ac per  
eundem exponentem renunciato prius per

eum attentatis coram quibusvis iudicibus  
laicis per quoscumque praemissorum oc-  
casione factis, dictum exponentem nedum  
a praefato praetense, sed a quibusvis aliis  
per dictos eius praedecessores episcopos  
forsan habitis ad iudices laicos recursi-  
bus, ac quibusvis censuris et poenis ec-  
clesiasticis, si quas eorumdem praemisso-  
rum occasione quomodolibet incurrit,  
auctoritate nostra apostolica absolvas et  
totaliter liberes, dictasque poenas ei gra-  
tiose remittas et condones.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus  
et ordinationibus apostolicis, ceterisque  
contrariis quibuscumque. Derogat ob-  
stantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,  
sub annulo Piscatoris, die XI augusti  
MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 11 augusti 1637, pontif. anno xv.

DLXXIX.

*Committitur archiepiscopo Mediolanensi,  
ut deputatis collegii Helvetici Medio-  
lanensis easdem exemptiones et privi-  
legia concedat, quibus gaudent depu-  
tati seminarii et conservatorum colle-  
gii Ambrosiani eiusdem civitatis.*

Venerabili fratri,  
archiepiscopo Mediolanensi,  
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,  
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filio-  
rum rectoris et deputatorum collegii Hel-  
vetici Mediolanensis nobis expositum fuit,  
quod praefatum collegium iisdemmet, qui-  
bus ipsum seminarium Helveticum, regulis  
regitur, illiusque regimini praesunt prae-  
positus Oblatorum pro tempore, necnon  
quinque canonici ecclesiae Mediolanensis,  
a pro tempore existente archiepiscopo Me-  
diolanensi eligi soliti, coram quo et ipsius

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

in spiritualibus vicario generali congre-  
gationes ad prosperum dicti collegii gu-  
bernium pertinentes fieri solent, ipsisque  
praeposito et canonicis, quorum introitus  
in Mediolanensi, Papiensi, Terdonensi et  
Alexandrinae dioecesibus consistunt, ut plu-  
rimum ab eodem archiepiscopo pro rei  
exigentia mandatur, ut dicti collegii bona  
visitare debeant. Nobis propterea dicti  
deputati humiliter supplicari fecerunt, ut  
sibi circa residentiam in eadem ecclesia  
faciendam, ad quam de iure tenentur, pro-  
videre de benignitate apostolica digna-  
remur.

§ 2. Nos igitur, illos specialibus favori-  
bus prosequi volentes, et eorum singu-  
lares personas a quibusvis excommunica-  
tionis, suspensionis et interdicti, aliisque  
ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis,  
a iure vel ab homine, quavis occasione  
vel causa latis, si quibus quomodolibet  
innodatae existunt, ad effectum praesen-  
tium dumtaxat consequendum, harum se-  
rie absolventes et absolutas fore censentes,  
huiusmodi supplicationibus inclinati,  
circumspectioni tuae per praesentes in-  
iungimus, ut, veris existentibus narratis,  
eisdem exponentibus, dum pro servitio  
dicti collegii a choro dictae ecclesiae de  
licentia tua aberunt, quod ipsi omnibus  
et singulis privilegiis, exemptionibus, gra-  
tiis et indultis, quibus ipsi deputati semi-  
narii praefati et conservatorum collegii  
Ambrosiani civitatis Mediolanensis fruun-  
tur et gaudent, frui et gaudere libere et  
licite possint et valeant, licentiam aucto-  
ritate nostra apostolica, arbitrio tuo, con-  
cedas et indulgeas.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus  
et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae  
praefatorum, etiam iuramento, confirma-  
tione apostolica, vel quavis firmitate alia  
roboratis, statutis et consuetudinibus, ce-  
terisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, quod praefatorum

deputatorum canonicatus et praebendae  
debitis propterea non fraudentur obse-  
quiis, sed illorum congrue supportentur  
onera consueta.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,  
sub annulo Piscatoris, die xxx augusti  
MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 30 augusti 1637, pontif. anno xv.

DLXXX.

*Confirmatio synodi provincialis anno  
MDLXXIV per Cyprianum Pallavicinum  
archiepiscopum Ianuensem super rebus  
Ecclesiae non alienandis nec pigno-  
randis habitae, et a Congregatione sa-  
cri Concilii Tridentini approbatae.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus  
filius Paulus Fliscus abbas S. Mariae in  
Vialata Ianuensis, et decanus secularis, et  
collegiatae ecclesiae S. Hadriani loci Tri-  
gaudii Ianuensis dioecesis, quod alias de  
anno MDLXXIV a bonae memoriae Cypria-  
no Pallavicino, ecclesiae Ianuensis tunc  
praesule, in synodo per eum de et super  
rebus Ecclesiae tuendis, iisdemque non  
alienandis, nec pignorandis celebrata, et  
subinde a venerabilibus fratribus S. R. E.  
cardinalibus sacri Concilii Tridentini in-  
terpretibus approbata, nonnullae declara-  
tiones seu decreta edita fuerint tenoris  
subsequentis, videlicet:

*De rebus ecclesiae tuendis, deque iisdem  
non alienandis, nec pignorandis.*

Quoniam praesens provinciale conci-  
lium temporis excluditur angustiis, quo  
minus possit, ad normam Concilii Triden-  
tini cap. xi, sess. xxv, ex omnibus loca-  
tionibus, ad annos triginta in longum  
tempus seu (ut sit nonnullis in locis) in  
vigintinovem vel bis vigintinovem annos

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

canonicatus de-  
bitis fraudentur  
officiis.

Abbas S. Ma-  
riae in Viala-  
tae Ianuensis  
refert constitu-  
tiones in syno-  
do latis.

Tenor huius-  
modi constitu-  
tionum.

Provisio, ne

factis, declarare, quanam earum in Ecclesiae damnum, contrave canonicas sanctiones sint facta; propterea praetermittendum<sup>1</sup> non existimavit, quin ad eiusdem decreti praescriptum, et ex facultate sibi ex eodem decreto concessâ, huiusmodi munus aliis subdelegaret. Itaque, quod attinet ad bona quae sunt in unoquoque episcopatu, vicariis generalibus in suâ cuique dioecesi praesentis provinciae, et primam in eadem cathedrali ecclesiâ dignitatem obtinenti cuique, necnon collegiatae secularis ecclesiae antiquissimo in urbe ipsâ commoranti praeposito, omni meliori modo, subdelegat et committit; adeo ut duo ex ipsis omnia possint exequi et conficere, tertio non adhibito; ita tamen, si neutrius illorum id intersit; nec enim debet episcopi vicarius de locationibus ab episcopali mensâ factis, nec de capituli locatione dignitas capitularis, nec antiquissimus praepositus de factis vel a se vel ab antecessore suo locationibus cognoscere. Quod si qua forte esset iusta suspicionis causâ (ut puta, si quem illorum, quos diximus, in eiusmodi alienatione, locationeve praefectum aut iudicem fuisse contigisset), tunc ad acta per eos rescindenda et irrita reddenda detur actio per eosdem de consilio iurisconsulti partibus non suspecti, idque sumptibus suspicionem proponentis. Mandat autem praesens provinciale concilium episcopis omnibus, ut huiusmodi locationes pervestigandas curent, praedictisque iudicibus tradant cognoscendas; aut, agente fisci procuratore, ad illarum (si ita ius erit) cognitionem et disceptationem ipsimet deveniant; idque illorum qui eiusmodi locationes fecerint, sive haeredum sumptibus; quibus tamen liberum<sup>2</sup> sit liti, si velint, interesse, sumptusque suppeditare. Si qui fuerint in

tali re negligentes, seu episcopi, seu iudices, seu fisci procuratores, in proximo provinciali concilio rationem reddent. In reliquis Tridentini Concilii decreta servantur omnino, Pontificiaeque Bullae de bonis male alienatis, deque decimis debitis solvendis, Tridentinique Concilii decreta cap. xi, sess. xxii, et cap. xii, sess. xxv de suggestu populo saepissime denunciantur; ut aliquando moniti respiscant, seque a censuris vindicent, tum bona ad ecclesiam eiusque loca spectantia restituendo, tum debitas quoque decimas solvendo. Caveant autem omnes beneficiati, ne illis, qui ius habent patronatus, praesentationis, vel nominationis, locent ecclesiae bona; nec illis, qui iisdem beneficiis cesserunt, eorumque in primo vel in secundo gradu propinquis; neve illos ad fructus vel pensiones exigendas, absque episcopi licentiâ, procuratores constituent. Praeterea animadvertant omnes praelati, seu ecclesiasticâ aliquâ dignitate praediti, ne, cum sibi facultas ab Apostolicâ Sede permittitur huiusmodi alienationes, si in evidentem utilitatem cedant, exequendi, negligenter eo fungantur munere, vicariam in eâ re scribarum operam substituentes: verum per se ipsi scrutentur omnia diligenter et inquirant, in rem (si res postulet) praesentem venientes: ne ipsi quoque dilapidatorum ad ecclesiam piave loca spectantium bonorum culpam sustineant. Bonorum ecclesiasticorum alienatio eâ lege (ut debet) facta, ne valeat, nisi superioris auctoritas intercesserit, adiectâ clausulâ, *ut alioquin irrita censeatur*, factaque ante interpositam huiusmodi auctoritatem traditio, irrita sit, nisi in alienatione reservetur beneplacitum Sedis Apostolicae, et servatis servandis; ac tum is, qui possidet, amittat possessionem: qui vero aliter alienat, ex canonum sanctione puniatur: neque enim est dubitandum, quin poenis in ecclesiae

bona, sine superiorum consensu, alienantes constitutis sit obnoxius. Quae vero etiam in longum tempus locari bona consuevere, quocumque iure ad ecclesiam redierint, etiamsi in ecclesiae bonorum corpus nondum sint redacta, in reliquum tempus ne locentur amplius, nisi id cedat in ecclesiae utilitatem, vel aliqua urgeat necessitas. Scribae, qui posthac conscribent testamenta, codicillos, aliasve obligationes, seu syngraphas, quibus aliquid ecclesiae, piisve operibus relictum, donatum, concessumve sit, vel quovis iure aut causâ ad eam vel ad ea spectare declaratum, intra tres menses, ex quo de morte legantis, donantis et concedentis cognoverint, episcopum ecclesiae, piive loci praefectum, cuius id interest, faciant certiores; atque obligationum illarum exemplum, accepto operae suae pretio, deferant. Idem faciant in huiusmodi aliis syngraphis, vel a se aliâs confectis, vel ab alio scribâ, cuius tabulae, seu protocolla quovis modo ad ipsos devenerint; idque intra alios tres menses, ex quo, vel ipsi in memoriam redierint, vel aliâ ratione competerint, earum rerum aliquid in tabulis seu protocollis, quae penes ipsos sint, contineri, sub excommunicationis poenâ. Huicque decreto et poenae subiicit praesens synodus alios omnes, tametsi scribae non essent, qui penes se scripta huiusmodi et instrumenta detinent, nec ea proferunt, etiam si contra ipsos facerent: quandoquidem syngraphas omnes ad piarum causarum utilitatem spectantes, contra se etiam facientes, proferre quisque de iure tenetur. Eidem poenae subiecti sint, qui ab aliis huiusmodi supprimi scientes clam habent. Ac, ne spectantium ad ecclesias, oratoria, sacella et alia quovis nomine appellata pia loca bonorum tam facilis sit in reliquum tempus occupatio, quam fuit adhuc, mandat praesens synodus, ut ii, ad quos eiusmodi ecclesiarum et locorum

sigillatim cura pertinet, illorum bona omnia, sive emphyteutica, sive livellaria, sive alio quovis iure mancipata, redigant in tabulas publicas, factâ cuiusque loci nominatim (si opus fuerit) mentione et terminorum fines dirimentium, qui, si nulli erunt, interponantur; tum possessoribus, tum etiam vicinis, si absint, vocatis. Iidem in unum volumen referant eorum omnium nomina, qui ecclesiae, piisve locis et operibus perpetuo sunt obligati, factâ et praediorum et oneris praedio cuique impositi mentione: cuius quidem voluminis exemplum unum ad episcopale archivium, alterum ad eum, cuius curae eiusmodi vel ecclesia vel pius locus sit commissus, deferatur. Hoc autem prius saltem confici optat praesens concilium, quam novi concilii tempus adventet, quod ad tres annos erit convocandum. At ii, quibus aliquid ecclesiae bonorumve eius aut pii operis penditur nomine, cum aliquid exigent, scribam adhibeant, diserte factâ in accepti et expensi tabulis mentione, quo illa sit pecunia nomine soluta, harumque tabularum rite confectarum et consignatarum exemplum deferant ad episcopum vel current perferendum. Quia satis compertum est, inter ceteras causas, quibus factum est, ut huius provinciae beneficia, tam curata, quam simplicia, ad tantam redacta sint paupertatem, ut paucissima sint, quae rectorem alere possint, hanc vel praecipuam fuisse, quod rectores ipsi, emphyteutis et aliis conductoribus recusantibus pensionem seu canonem illis debitum solvere, ad id agendum eos compellere non curarunt, nolentes longas lites suscipere et magnos sumptus facere, ut postea exiguas pensiones consequantur. Et quia clare patet ob eandem causam quotidie aliquos, ex his, qui minimi et paucissimi ecclesiis supersunt, redditus<sup>1</sup> amitti, praesens provinciale concilium, volens huic

<sup>1</sup> Male edit. Main. legit *reditus* (R. T.).

<sup>1</sup> Male ed. Main. legit *praemittendum* (R. T.).  
<sup>2</sup> Improbe prorsus edit. Main. legit *librorum* pro *liberum* (R. T.).

incommodo occurrere, decernit et constituit, ut eiusmodi pensionum, canonum et reddituum ecclesiasticorum causae iudicibus videantur, absque ullo iudicii strepitu, solâ facti veritate inspectâ, etiam sine actorum scripturâ, si ita iudicibus videbitur expedire; praesertim si redditus, de quibus agetur, quinque aureorum summam non excedent: et ita terminentur, ac iudicentur; qui iudices debeant, sine aliquâ morâ, omnibus iuris et facti remediis sententiam ita ut praefertur latam exequi; quam nullo modo possit quaecumque interposita et admissa appellatio retardare; adeo ut, quamvis simpliciter fuerit admissa, intelligatur tamen tacite illi inesse conditio, ut admissio non differat executionem. Iisdem etiam et aliis urgentibus rationibus motum idem concilium statuit, ut causae devolutionum rerum emphyteuticarum et alio quovis modo conductarum, quomodocumque proponantur devolutae et ad ecclesias et beneficia vel monasteria et alia loca ecclesiastica sive aliter pia reversae, summarie cognoscantur et decendantur: et iudices teneantur omnino sententiam exequi, quaecumque appellatione interpositâ non obstante, quae, licet fuerit admissa, executionem non suspendat, nec differat missionem in possessionem eiusdem sententiae dispositione faciendam: et semper intelligatur eâ conditione admissa fuisse, ut iudex, qui tulit sententiam, possit et debeat ecclesiam, sive pium locum, sive beneficiorum rectores et monasteria, quae sententiam pro se reportaverint, in possessionem inducere, et in omnibus executionem ac licentiam concedere, iuxta eiusdem sententiae dispositionem. Et supradicta omnia et singula locum habeant, non solum cum clerici et piorum locorum procuratores agunt, sed etiam cum conveniuntur.

*Hucusque decretum concilii.*

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus exponens praemissa omnia, pro illorum firmitate subsistentiâ et validitate, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret:

§ 3. Nos, dictum exponentem specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorundem cardinalium consilio, celebrationem dictae synodi, ac in eâ edita declarationes et decreta ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 4. Decernentes illa omnia necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter et inconcusse observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum qui-

Dictus abbas has leges synodales petit confirmari.

Urbanus confirmat.

Clausulas irritantes apponit.

Contraria tollit.

busvis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII septembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 17 septembris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXI.

*Quod in provincia Granatensi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nullus frater aut consanguineus in primo et secundo gradu ministri actualis pro tempore possit succedere immediate ad provincialatum dictae provinciae, etc.<sup>1</sup>*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum, sicut dilecti filii fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupati provinciae Granatensis nobis nuper exponi fecerunt, quod<sup>1</sup> aliâs contigerit, ut ministri provinciales, animadvertentes se se ad idem provincialatus officium in vim litterarum apostolicarum religi minime posse, dederint operam, ut eorum frater aut nepos ad officium huiusmodi eligeretur, et sic multorum annorum spatio

<sup>1</sup> Vide, quae de his fratribus indicavi tibi ad Const. xcviij (al. 95) *Pastoralis officii*, Gregorii XV, tom. XII, pag. 785, et ad Const. cccxviii, *Sacrosanctum*, huius Pontificis, supra pag. 100.

<sup>2</sup> Partic. quod delent. ex Cher. ed. Lugd. (n.t.).

Bull. Rom. — Vol. XIV.

77

dictum officium inter ipsos haereditarium per continuatam sibi sanguine coniunctorum in officio huiusmodi successionem effectum fuerit; proptereaque dicti exponentes cupientes<sup>1</sup> opportunum aliquod in praemissis remedium adhiberi, ac aliâs ne dictae provinciae fratres huiusmodi graves et benemeriti ab officiis excludantur, illaque iuvenibus inexpertis in maximum dedecus et boni regiminis dictae religionis detrimentum conferantur, desuper provideri:

§ 1. Nos, praedictos exponentes specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter<sup>1</sup> porrectis inclinati, volumus et apostolicâ auctoritate tenore praesentium statuimus et ordinamus,

§ 2. Quod de cetero nullus frater aut consanguineus in primo et secundo gradu ministri provincialis dictae provinciae provincialatus officium huiusmodi dimittentis immediate post ipsum in ministrum provinciam dictae provinciae eligi quoquo modo possit et valeat; mandantes propterea omnibus et singulis dictae provinciae et Ordinis huiusmodi superioribus, fratribus et personis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, ne quicquam contra nostram praesentium litterarum continentiam et tenorem facere vel attentare audeant seu praesumant, ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore,

<sup>1</sup> Legendum foret *cupiant* (n. t.).

<sup>2</sup> Perper. ed. Main. legit *super similiter* (n. t.).

Observari mandatum prout in rubrica.



suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, irritumque et inane, si quidquid<sup>1</sup> secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimeretur et insereretur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 octobris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 1 octobris 1637, pontif. anno xv.

#### DLXXXII.

*Prohibitio extrahendi libros e bibliothecis et paramenta ab ecclesiis conventuum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum provinciae Granatensis<sup>2</sup>.*

<sup>1</sup> Aptius ed. Cherub. *si quid* (n. r.).

<sup>2</sup> Plures Summi Pontifices prohibuerunt extractionem librorum e bibliothecis regularium.

#### Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Conservationi et manutioni bibliothecarum singularum domorum, nec non paramentorum et ornamentorum illarum ecclesiarum, fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum provinciae Granatensis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsarumque domorum guardianos et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

§ 2. Ne de cetero quiquam, quavis auctoritate fungentes, libros, quaternas, folia, sive impressa sive manuscripta, bibliothecis, aut paramenta, ornamenta quaecumque ecclesiis huiusmodi per quoscumque christifideles hactenus quomodolibet donata et assignata, seu imposterum forsâ donanda et assignanda, ex bibliothecis et ecclesiis huiusmodi respective extrahere, seu quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis, locis piis aut personis commodare, sive ut extrahantur seu commodentur permittere, quovis praetextu aut quaesito colore, causâ, ingenio, ratione vel occasione audeant seu praesumant, sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domorum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmi-

Motiva.

Prohibet, prout in rubricâ.

Contrariis derogat.

tate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in valvis singularum bibliothecarum et ecclesiarum huiusmodi respective, aut aliquibus aliis perspicuis locis, unde ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat;

Transumptis credi iubet.

§ 5. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 13 octobris 1637, pontif. anno xv.

#### DLXXXIII.

*Quod minister fratrum de Observantiâ provinciae Granatensis teneatur recipere religiosos missos ex Recollectis eiusdem provinciae, qui a perfectâ suae regulae observantiâ declinarunt<sup>1</sup>.*

#### Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii fratres Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum provinciae Granatensis nobis nuper exponi fecerunt, temporis progressu compertum sit, quod, quando religiosus aliquis Ordinis et provinciae huiusmodi a perfectâ suae regulae observantiâ declinavit, exinde aliis fratribus perturbationes non sine maximo eorumdem praedictorum perveniant<sup>2</sup>, cupiantque propterea pro maiori divini cultus incremento in-

<sup>1</sup> De transitu fratrum a Reformatione ad Observantes dat modum Paulus V in sua Const. LXIV (al. 62) *Postulat*, tom. XI, pag. 376.

<sup>2</sup> Aptius lege *proveniant* (n. r.).

convenientibus huiusmodi opportunum aliquid remedium adhiberi:

§ 2. Nos, dictorum exponentium votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

§ 3. Volumus et apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ut tunc, et eo casu, possint definitores et quatuor guardiani dictorum fratrum Recollectorum sese congregare, sique apud ministrum provinciam fratrum Minorum eorumdem insteterint pro amotione alicuius ex Recollectis religiosi, et transmissione ad fratres de Observantiâ nuncupatos, dictus minister provincialis teneatur eundem fratrem ex Recollectis removere, illumque inter dictos fratres de Observantiâ recipi facere libere et absolute, et absque ullâ prorsus morâ et tergiversatione.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum inviolabiliter et inconcusse observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ

Mandat observari prout in rubricâ.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis  
credi mandat.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhibetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI octobris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 16 octobris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXIV.

*Congregationi Oratorii Neapolitani communicantur omnia privilegia Congregationi Romanae concessa*<sup>1</sup>.

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Gregis Dominici animarum salutis, divini cultus incremento, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, iugiter invigilantes, privilegia et indulta, quae propterea piis christifidelium Congregationibus in militanti Ecclesia ad divini nominis laudem et gloriam, sanctaeque fidei catholicae exaltationem salubriter institutis a Sede Apostolica concessa sunt, non solum confirmamus, verum etiam pastoralis officii nostri partes libenter intendimus, ut Congregationes ipsae novis ab eadem Sede gratis atque indultis decorentur, prout, rerum et tem-

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

porum qualitatibus debite pensatis, commiscimus in Domino salubriter expedire.

§ 2. Alias siquidem a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae ad favorem Congregationis presbyterorum Oratorii per sanctum Philippum Nerium institutae, et ab eadem Sede confirmatae, tenoris sequentis, videlicet:

*Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Decet Romanum Pontificem, cuius fidei cura et

salus Dominici gregis divinitus est commissa, praedecessorum suorum vestigiis inhaerendo, ea benigne concedere, quae ad eiusdem gregis conscientiae purificationem, et peccatorum remissionem, animarumque salutem ac spiritualem consolationem noscuntur pertinere. Alias siquidem felicis recordationis Gregorio Papae XIV<sup>1</sup> praedecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Philippi Nerii praepositi et presbyterorum Congregationis Oratorii in parochiali ecclesia S. Mariae in Vallicella de Urbe per ipsum praedecessorem antea instituti<sup>2</sup> exposito, quod de mense augusti anni Domini MDLXIII piae memoriae Pius Papa IV, etiam praedecessor noster, Philippo et presbyteris praedictis, tunc ecclesiae S. Ioannis Baptistae nationis Florentinorum etiam de Urbe in divinis servientibus, nonnullas gratias et privilegia ad decennium duratura apostolicam auctoritate concesserat, et decennium huiusmodi iam tunc expiraverat, dictus Gregorius praedecessor, volens eosdem Philippum et presbyteros non minoribus quam dictus Pius praedecessor prosequutus fuerat gratiis et privilegiis prosequi, et ut ipsi facilius et libentius Altissimo famulari et animabus christifidelium in audiendis eorum confessionibus amplius prodesse possent providere, Philippo et presbyteris Congregatio-

<sup>1</sup> Sed legend. XIII patet ex sequentibus (R. T.).

<sup>2</sup> Legendum institutae (R. T.).

Refert litteras Sixti V quibus nonnulla privilegia Congregationi Oratorii Romae erectae concessit.

nis huiusmodi, ut quorumcumque christifidelium ad ipsos undecumque accedentium, illosque infirmitatis vel quocumque alio tempore et occasione domum sive ad quemcumque alium locum ad se vocantium et requirentium, confessiones libere audire, et, illis diligenter auditis, ipsos christifideles et eorum singulos ab excommunicationis, suspensionis et interdicti, ac quibusvis aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, quavis occasione vel causa quomodolibet latis, et per eos incursis, ac etiam ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus et excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis (exceptis contentis in litteris in Coena Domini legi consuetis) absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem eis iniungere, ac vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum de Urbe, S. Iacobi in Compostella, et B. Mariae Lauretanae, ac castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia poenitentiae vel pietatis opera commutare, necnon per dimidium horae spatium ante auroram et post meridiem, eis eveniente casu, missas celebrare libere et licite valeant, dicta auctoritate indulsit, et facultatem concessit, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris desuper in forma Brevis, sub die XIV martii pontificatus sui anno IV expeditis plenius continetur<sup>1</sup>. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Philippi et presbyterorum praedictorum petitio continebat, a pluribus credatur, litteras facultatis huiusmodi, licet illae ad certum aliquod tempus specificae et expresse non fuerint limitatae, nihilominus decennio, iam de mense martii proxime praeteriti elapso, tamen<sup>2</sup> durasse, et

<sup>1</sup> Alia de Congregatione Oratorii Romae Constitutio Greg. XIII habetur in Bullario, tom. VIII, pag. 541; sed haec citata non habetur (R. T.).

<sup>2</sup> Potius lege tantum (R. T.).

propterea ipsi, ut omne dubium tollatur, ac in Dei et animarum servitio in dies magis et magis proficere valeant, libentiusque in hanc curam incumbant, dictas facultates ipsis in perpetuum concedi, ac in quibusdam extendi et ampliari desiderant; pro parte eorundem Philippi et presbyterorum, qui, ut asserunt, in primordiam ecclesiam ad confessiones audiendas de nostri in dicta Urbe et illius districtu vicarii in spiritualibus generalis licentiam deputati existunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicam dignemur. Nos igitur, qui honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, Philippum et presbyteros praedictos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Philippo, ac nunc et pro tempore existentibus Congregationis huiusmodi ubicumque locorum diffusae presbyteris in Urbe a dicto vicario, seu extra eam ab Ordinariis locorum ad confessiones audiendas quomodolibet approbatis, eorumque singulis, quod ipsi, perpetuis futuris temporibus, omnium et singulorum christifidelium confessiones audire, illisque auditis eos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quavis occasione vel causa quomodolibet latis, et per eos incursis, necnon ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus et excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus,

etiam a casibus dictae Sedi reservatis vel imposterum reservandis (exceptis tamen contentis in litteris die Coenae Domini legi consuetis) absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem eis iniungere, nec non vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli Apostolorum de Urbe, et sancti Iacobi in Compostella, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia poenitentiae vel pietatis opera commutare; praeterea per dimidium horae spatium ante auroram et post meridiem missas celebrare; ac etiam, qui ex eis praevio examine ad confessiones audiendas in ipsa Urbe a dicto vicario approbati fuerint, et extra eandem Urbem absque alio examine de licentia tamen Ordinariorum locorum, indultibus et facultatibus huiusmodi uti ac potiri libere et licite valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore revocari, suspendi, vel limitari, neque eis derogari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum suum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas esse et censi, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Philippus et presbyteri praedicti huiusmodi indulto celebrandi ante diem parce utantur, quia cum in altaris ministerio imoletur Dominus noster Christus Dei Filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo iudicis ordinarii Romanae curiae vel al-

terius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVI, IX septembris, pontificatus nostri anno II.

§ 2. Nos, ad uberes fructus, quos dilecti filii presbyteri Congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii, in civitate Neapolitana canonice institutae, verbi Dei praedicationibus, sacramentorum ecclesiasticorum administratione, multorumque aliorum huiusmodi piorum operum exercitiis hactenus attulerunt et in dies afferunt, paternae dirigentes considerationis intuitum, ut in tam sancto et laudabili instituto ardentius de cetero perseverent, eos praecipuo paternae charitatis affectu complectendos duximus. Hinc est quod nos, praedictos presbyteros dicti Neapolitani Oratorii specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Annae Columnae Barberinae dilectae filii nobilis viri Thaddaei Barberini almae Urbis nostrae praefecti et principis Praenestini, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, con-

Et eadem indulta Congregationi Neapolitanae confirmat.

iugis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula in praesentibus dicti Sixti praedecessoris litteris contenta et expressa, ac etiam omnia et singula alia privilegia, indulta, gratias, favores, concessionis, facultates, libertates et exemptiones, tam spirituales quam temporales, in genere vel in specie, eisdem, vel Congregationi praedictae de Urbe concessa vel concessas per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, vel per nos, aut alio canonico titulo acquisita et acquisitas, praesertim circa exemptionem a processionibus tam publicis quam privatis (ita tamen ut praedictae Congregationis Oratorii Neapolitani presbyteri praesentes et futuri, tam praesentium litterarum vigore, absolvere nullo modo valeant a casibus in litteris die Coenae Domini legi solitis et in constitutione nostra super electione Romani Pontificis emanata contentis, neque profitentes seu exercentes quomodolibet astrologiam iudiciariam et alia prohibita in constitutione etiam nostra desuper edita, violatores immunitatis ecclesiasticae etiam contra constitutionem recolendae memoriae Gregorii Papae XIV etiam praedecessoris nostri, violatores clausurae monialium ad malum finem, procurantes<sup>1</sup>, ac pugnantes in duello, ac incidentes in poenas canonis *si quis suadente diabolo*), apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiiicimus, ac, quatenus opus sit, de novo concedimus. Ita tamen ut vigore praesentium litterarum in domibus particularium personarum confessiones audire non possint.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo

<sup>1</sup> Vel hic forsitan legend. *abortum procurantes*, vel antea lege *violationem* pro *violatores* (n. t.).

quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae seu alias iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, apositionem oris, aut quodcumque aliud, iuris vel facti, gratiae vel iustitiae, remedium impetrari, seu eo impetrato quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra nullatenus posse; sed eas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, ac praedictis presbyteris Oratorii Neapolitani plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, sublatam eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis tam per similes memoriae Clementem VIII quam Paulum V Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos contra regulares et forsitan alios editis, aliisque quibusvis dictae Congregationis Oratorii, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere

Obstantibus derogat.

Clausulas appositae.

vel in specie, ac aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ultimâ octobris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 31 octobris 1637, pontif. anno xv.

DLXXXV.

*Confirmatio, extensio et declaratio constitutionum apostolicarum, prohibentium civitates, castra et alia tam iurisdictionalia quam non iurisdictionalia, stabilia tamen bona, in Statu Ecclesiastico consistentia, alienari in forenses absque Sedis Apostolicae licentiâ; et revocatio quarumcumque licentiarum et facultatum adversus praedictas constitutiones concessarum<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad perpetuam rei memoriam.

Motu proprio, etc.

Olim felicitis recordationis Sixtus V praedecessor noster, ut tunc suorum et Sedis

Refert ea  
quae praescrip-  
serat Sixtus V.

<sup>1</sup> Alienationem honorum Status Ecclesiastici in non subditos et forenses prohibuit Sixtus V in sua Const. VII, *Sollicitudo*, tom. VIII, p. 580. Quam postea approbavit Clemens VIII in sua Const. CCLXI (al. 250) *Romanum*, tom. X, p. 711; et ampliavit Paulus V Constitut. CCCI (al. 281) *Pastorale*, tom. XII, pag. 413.

Apostolicae subditorum conservationi prospiceret, civitates, castra, oppida, iurisdictiones, feuda et bona quaecumque stabilia seu immobilia, in dicto Statu Ecclesiastico consistentia, per quemcumque, cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis et conditionis existeret, etiamsi imperiali, regali, ducali vel aliâ quavis auctoritate ac dignitate, etiam ecclesiasticâ quae specialem et individua mentionem requireret, praeditus esset, vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus seu precarium concedi sine<sup>1</sup> suâ et Sedis Apostolicae licentiâ in aliquam communitatem, universitatem, collegium vel personam extraneam seu forenses, etiam ut praemittitur quomodolibet qualificatam, quae dictae Sedi in temporalibus subdita et supposita non esset, vel quae in dicto Statu domicilium legitime non contraxisset; praedictas vero civitates, castra, oppida, fortalitia et alia quaecumque iurisdictionalia, praesertim feudalia, tam in forenses quam in subditos quoscumque quomodolibet qualificatos vendi, permutari ac donari, nisi praecedente praefatâ licentiâ apostolicâ, prohibuit, sub poenâ nullitatis contractuum, aliorumque gestorum; in praefatâ tamen prohibitione neque census, neque officia, neque portiones, seu montium loca, nec mulierum dotes, nec almam Urbem, uti communem patriam, cum eius circuitu ad decem millia passuum, voluit comprehendere; filios tamen et haeredes praedictarum mulierum, soluto matrimonio, si exteri forent, adstrictos esse infra triennium venire ad habitandum in eodem Statu, vel bona praedicta in alium seu alios habitatores ac subditos transferre statuit.

§ 2. Deinde recolendae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, eandem Sixti prohibitionem ac statutum

<sup>1</sup> Perperam ed. Main. legit *in pro sine* (R. T.).

Clemens VIII.

nedum confirmavit, sed etiam ad principes extraneos, universitates, communitates et collegia, non tamen ecclesiastica, respectu quorumcumque bonorum stabilium, tam in confinibus eiusdem Status Ecclesiastici, quam in quacumque aliâ ipsius Status parte, et in ipsâ Urbe consistentium, ac etiam censuum, aliorumque bonorum et iurium, quae pro stabilibus habentur (non tamen officiorum Romanae curiae, nec portionum seu locorum montium,<sup>4</sup> comprehendere declaravit), ac etiam ad quaecumque genera contractuum, praeterquam ut praefertur ex causâ dotis, et ad quascumque dispositiones inter vivos et causâ mortis ac ultimas voluntates extendit.

Et Paulus V.

§ 3. Et successive piae memoriae Paulus V, etiam praedecessor noster, praedictas Sixti et Clementis constitutiones declaravit ac extendit, statuens quoque licentiam apostolicam praedictam esse in scriptis obtinendam, et in actu celebrationis instrumentorum exhibendam, sub diversis poenis etiam quoad notarios ipso iure incurrendis<sup>2</sup>. Ac denique nos prioribus nostris litteris easdem constitutiones, confirmavimus, ac in eis, bona in confinibus territorii baronalis existentia, et castra diruta, ac tenutas iurisdictionales, censusque super eisdem bonis impositos comprehendere declaravimus<sup>3</sup>. Et successive per alias nostras litteras terminum illis qui praemissis contraverant, ut contractus et gesta quaecumque ut praefertur prohibita retractarent, praefiximus, et aliàs, prout latius et plenius in praedictis Sixti, Clementis et Pauli praedecessorum nostrorum ac nostris litteris continetur<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Heic praemitte *quae non* (R. T.).

<sup>2</sup> Sixti, Clementis et Pauli constitutiones mox citatae sunt in notâ ad rubricam (R. T.).

<sup>3</sup> Quas require in tom. XIII, pag. 547 (R. T.).

<sup>4</sup> Secundas Urbani litteras habes in tom. XIII, pag. 596 (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XIV.

78

§ 4. Cum autem postmodum longiori experientiâ compertum sit, etiam ex dotibus, seu ex contractibus ac dispositionibus causâ dotium, posse Sedi Apostolicae, suisque subditis non modicum fieri praedudicium, et saepe ex occultis assignationibus etiam per scripturas privatas fieri solitis ipsas dotes ac bona et iura dotalia in venditiones ab eisdem constitutionibus prohibitas clam transire posse, si civitates, castra, oppida, fortalitia, arces, aliaque iura et bona iurisdictionalia, ac bona stabilia seu immobilia quaecumque, praesertim in confinibus eiusdem Status Ecclesiastici etiam pro aliquâ parte contigui existentia, certo pretio aestimanda per quoscumque sive forenses, sive subditos, quomodolibet qualificados, etiam imperiali, regali, ducali et quavis aliâ auctoritate ac dignitate, etiam ecclesiasticâ, et aliàs individua mentionem requirente praeditos, in puellarum seu mulierum etiam subditarum dotibus et acconciis, sive causâ vel praetextu dotium, donationumque propter nuptias, vel pro arrhis, ac aliàs quomodolibet in dotes, seu pro dotium solutione vel assecuratione constituerentur et assignarentur, vel aliàs etiam absque aestimatione et qualibet aliâ palliatione darentur seu traderentur quibuslibet forensibus quomodolibet ut praemittitur qualificatis, etiam principibus maioris potentiae quibuscumque, eorumque patribus, matribus, avibus et aviis, tam paternis quam maternis, ac fratribus, filiisque, nepotibus, etiam ex fratre vel sorore nunc natis et quodocumque nascituris:

§ 5. Ideo nos, volentes, prout ex debito nostro pastorali tenemur, omnibus praedudiciis praedictis et aliis quibuscumque obviam ire, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuâ constitutione, easdem

Causas praedictas constitutiones declarandi et extendendi.

Urbanus dictas constitutiones confirmat et extendit, poenasque innovat.



Sixti, Clementis et Pauli ac nostras literas, omniaque et singula in eis et earum qualibet expressa et prohibita, poenaeque, tam nullitatis contractuum ac dispositionum, quam alias quascumque, ab eis et singulis earum etiam contra notarios et alios quoscumque inflictas approbamus, confirmamus et innovamus. Necnon illas ampliando ac declarando, easdem constitutiones, ac omnia et singula in eis et earum qualibet contenta, ad quoscumque contractus causâ vel praetextu dotium quomodolibet imposterum ineundos, ac ad quascumque dotes cuiuscumque qualitatis, quantitatis ac valoris, et quantumlibet privilegiatas et favorabiles, etiam ratione educationis infantium, pupillorum et personarum quarumcumque, et cuiuslibet alterius necessitatis, et aliâs quomodolibet per quoscumque, sive subditos sive forenses, utriusque sexus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et praesentiae, etiam imperialis, regalis, ducalis, nunc et pro tempore existentes, et quacumque auctoritate ac dignitate, etiam ecclesiasticâ et individua expressionem requirente praeditos, de quibuscumque bonis et iuribus, sive iurisdictionalibus sive non iurisdictionalibus, stabilibus tamen seu immobilibus, aliisve bonis et iuribus, quae pro stabilibus habentur, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico, praesertim in confinibus eiusdem Status pro aliquâ eius parte contiguis, tam coniunctim quam divisim, absque nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis expressâ licentiâ praedictâ, imposterum etiam absque aliquâ palliatione assignandas et quomodolibet dandas cuicumque puellae seu mulieri, etiam viduae, etiam subditae, et quovis modo ut praemittitur qualificatae, in favorem tamen cuiuslibet forensis, quantumlibet ut praemittitur qualificati, etiam principis maioris potentiae, vel eius patris, matris,

avi, aviae, sive paterni, sive materni, aut fratris, vel filii, aut nepotis, etiam ex eius fratre vel sorore nunc nati et quodocumque nascituri, extendimus et ampliamus, perinde ac si dotes et contractus ex causâ dotium huiusmodi non fuissent in praedictis constitutionibus exceptae nec excepti.

§ 5. Quinimo, ultra poenas in praedictis constitutionibus inflictas, addimus poenam privationis et confiscationis ipsorum bonorum et iurium quorumcumque eo ipso absque aliâ declaratione incurrendam in favorem camerae apostolicae, sive ecclesiarum inferiorum, a quibus contrahentes vel disponentes illa recognoverunt vel recognoscunt.

§ 6. Quam quidem confirmationem et extensionem ita declaramus, ut, quoad iurisdictionalia, respectu dotium et contractuum ac dispositionum praefatarum de cetero ineundorum, assignandarum et faciendarum sine licentiâ apostolicâ praedictâ, tam principes maioris potentiae et sui praefati, quam quicumque alii quomodolibet qualificati, subiaceant eisdem poenis etiam privationis et confiscationis, etiam si ipsi ita contrahentes ac disponentes nobis et Sedi Apostolicae ratione feudi essent subditi, ac etiam si castra, vel alia iurisdictionalia quaecumque, aut stabilia, aut palatia, vel domos apertas haberent in eodem Statu, vel etiam in Urbe, in quibus ipsi continue cum eorum familiis et laribus vere et personaliter habitare non consueverint; quo vero ad non iurisdictionalia, stabilia tamen, seu immobilia, ac census, et alia quae pro stabilibus habentur, non tamen Romanae curiae officia, nec portiones, seu montium loca, iisdem principes maioris potentiae et sui praedicti eisdem poenis subiaceant; reliqui vero forenses pariter easdem poenas etiam privationis et confiscationis praefatorum stabilium et aliorum quae pro stabilibus habentur (ubilibet in praefato

Et aliter superaddit.

Declaratio confirmationis et extensionis.

Statu Ecclesiastico, non tamen in Urbe, nec in eius circuitu praedicto, nec etiam in eius districtu consistentium, a mari tamen ultra duo miliaria distantium, nec Romanae curiae officiorum, nec portionum, seu locorum montium) incurrant, nisi ultimo dicti forenses infra annum, a die constitutae dotis vel a die initi contractus vel factae dispositionis incipiendum, veniant cum eorum familiis et laribus vere et personaliter ad habitandum in Statu Ecclesiastico, inde non recessuri, vel infra eundem annum eadem stabilia, et quae pro stabilibus habentur, realiter et cum effectu in alium vel alios Sedi Apostolicae in temporalibus subditos et in eodem Statu habitantes transferant: et idem pariter observari volumus quoad dotes hactenus promissas, assignatas, datas, seu traditas, ubi non fuerit hactenus celebratum et consummatum matrimonium, nisi, respectu principum maioris potentiae et cuiuslibet suorum praefatorum, sponsus per annum immediate praecedentem ante celebratum matrimonium venisset ad habitandum personaliter in Statu Ecclesiastico, se, eiusque familiam et lares transferendo, inde non recessurus. Quibus nullitatibus et poenis locum esse volumus non obstante quod sponsa vel uxor aut quicumque promittentes, dantes, vel relinquentes dotem, eorumque haeredes in eorum possessione continuerint, ac non obstante quocumque fideicommisso, primogeniturâ, maioricatu<sup>1</sup>, alienandi prohibitione et quolibet alio vinculo, investiturâ, nominatione, vocatione et quavis aliâ concessione, ac dispositione, etiam feudali, ac emphyteuticâ, a Sede Apostolicâ et a quocumque alio, etiam in favorem et pro conservatione cuiuscumque familiae quantumlibet nobilis et aliâs quomodolibet privilegiatae, factis, ac se-

<sup>1</sup> Ita etiam legit edit. Cherub. Lugdun. In Lexico Ducange non nisi maioratus notatur (A. T.).

mel et pluries per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos approbatis, ac effectum sortitis. Quibus omnibus et singulis plenissime derogamus quoad ipsos contrahentes vel disponentes adversus praemissa et eorum singula, ac eisdem contractibus et dispositionibus consentientes, eorum tamen vitâ durante tantum.

§ 7. Insuperque omnia et singula indulta et licentias emendi et acquirendi, ac non veniendi ad habitandum in Statu Ecclesiastico, et bona quaecumque in subditos non transferendi, et aliâs quomodolibet contra praedictas constitutiones, etiam praesentibus per nos extensas ac declaratas, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac etiam a nobis, etiam motu, scientiâ, deliberatione, ac potestate paribus, et ex quibuscumque causis quantumlibet favorabilibus et onerosis, quibuscumque personis, etiam principibus maioris potentiae, suisque praedictis, et eorum cuilibet, ac familiis quantumlibet ut praemittitur qualificatis, ac aliâs quomodolibet concessa et concessas, etiam effectum sortita et sortitas, non tamen in eo in quo usque huc realiter exequuta sunt, revocamus respectu iurisdictionalium quorumcumque praedictorum et illis annexorum dumtaxat, ac pro revocatis haberi volumus et esse revocata declaramus, itaut imposterum nemini suffragentur, nisi cum infrascripto onere veniendi ad habitandum in dicto Statu Ecclesiastico, exceptis tamen illis, qui desuper cum Sede Apostolicâ transactiones et pactiones hinc inde obligatorias habent, quoad ea tamen quae sunt specialiter expressa in ipsis transactionibus et pactionibus respective, quibus praedictae non intendimus, ac etiam exceptis, quoad praedictum onus habitandi in Statu Ecclesiastico, eisdem principibus maioris potentiae, suisque praedictis, ac aliis principibus, qui forsitan praeten-

Licentias emendi, acquirendi, etc., revocat.

dentes esse principes maioris potentiae propter insignes iurisdictiones quas habuerunt et habent vel imposterum habebunt in suis ditionibus extra praedictum Statum Ecclesiasticum consistentibus, non tamen eidem Statui Ecclesiastico contiguus, seu conterminis, residentiam continuam sibi constituerunt, vel in futurum constituent, ac etiam exceptis illis, qui seu quorum maiores prius in exteris ditionibus quam in Statu Ecclesiastico habuerunt et habent, vel habebunt possessionem actualem iurisdictionalium.

§ 8. Ulterius volumus, quod, exceptis praedictis, reliqui omnes et singuli, etiam indulta et licentias huiusmodi habentes et iurisdictionalia praedicta Sedis Apostolicae, seu ecclesiarum inferiorum, in eodem Statu Ecclesiastico sita, nunc et pro tempore possidentes, vel alia ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico consistentia, praecedente tamen licentiâ apostolicâ, ementes, etiam sub hastâ, aut aliâs quovis titulo etiam dotis acquirentes, eorumque haeredes et successores, teneantur venire ad habitandum vere et personaliter cum eorum familiis et laribus in eodem Statu Ecclesiastico infra annum proximum a die datae praesentium et respective a die acquisitionis seu adeptae possessionis ipsorum iurisdictionalium decurrendum, inde non recessuri, vel infra eundem annum eadem iurisdictionalia, praecedente praefatâ licentiâ apostolicâ, in alium vel alios subditos et habitatores transferre, aliâs in eventum contraventionis, seu inobedientiae, in eadem poenas, etiam privationis et confiscationis eorumdem iurisdictionalium, eo ipso pariter ad favorem camerae apostolicae et respective ecclesiarum inferiorum praefatarum incidant. Forenses vero, sive exteros, ad effectum praesentis, aliarumque constitutionum praedictarum, illos imposterum non esse nec fore declaramus, qui nobis ac dictae Sedi ratione temporalis

iurisdictionis Status nostri Ecclesiastici subditi et suppositi sint, vel qui domicilium in eo legitime contraxerint, quod domicilium requiratur etiam quoad possidentes in eodem Statu Ecclesiastico aliquam iurisdictionem, vel qui in praedicto Statu Ecclesiastico, etiam Avenionensi, Bononiensi et Beneventano, et intra eius limites, non tamen in locis eorumdem principum maioris potentiae, vel suorum praedictorum, nati sint. Qui autem nunc et pro tempore sint vel fuerint principes maioris potentiae, etiamsi ipsi a ritualibus et diariis Sedis Apostolicae indicentur, declarationem tamen illorum ad effectum praesentis, aliarumque praedictarum constitutionum nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservamus, prout etiam reservamus declarationem iurisdictionum insignium, quibus fuerit hactenus constituta, vel imposterum constitueretur per principes habitatio praedicta.

§ 9. Praesentes quoque litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea minime vocati et auditi, minusque causae, propter quas eadem praesentes emanarint, iustificatae fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari posse, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari;

§ 10. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et clericos camerae apostolicae praesidentes, cardinalem camerarium, et quoscumque alios, etiam S. R. E. cardinales, etiam de

Clausulas praeservativas addit.

Clausula sublata.

latere legatos ac nuncios, et alios quavis potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 11. Non obstantibus praemissis, necnon praedictis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam cancellariae nostrae regulis, etiam illâ de non tollendo iure quaesito, ac, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis, sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliâs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ac etiam illis, quae iidem praedecessores nostri voluerunt ac nos etiam volumus in praedictis constitutionibus non obstare; quibus omnibus, illorum omnium et singulorum tenores etiam ampliores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praedictum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis.

§ 12. Et, ut ad omnium notitiam praesentes et in eis contenta quaecumque deveniant, volumus, quod eadem per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranen-

1 Partic. et nos addimus (R. T.).

2 Verba quibus omnibus nos addimus (R. T.).

sis, et S. Petri, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, quae sic affixae et publicatae omnes et singulos afficiant et arcent, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 novembris 1637, pontif. anno XV.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVII, indictione V, pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Urbani divini providentiâ Papae VIII, anno eius XV, die vero I decembris, supradictae litterae affixae et publicatae fuerunt in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, et S. Petri, atque in acie Campi Florae, per nos Iosephum Maffaeum et Antonium Bardum apostolicos cursores.

DOMINICUS VARESIUS, mag. cursor.

DLXXXVI.

Quod moniales conversae Ordinis sanctae Clarae monasterii S. Marcelli Parisiensis debeant manuteneri in possessione eligendi abbatissam<sup>1</sup>.

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae moniales conversae monasterii monialium sanctae Clarae Ordinis sancti Francisci sili in suburbio S. Marcelli Parisiensis sub gubernio fratrum Minorum eiusdem Ordinis existentium nobis nuper exponi fecerunt, aliâs dilecta in Christo filia Magdalena Rebours, dicti monasterii abbatissa

Monialium instantia.

1 Huiusmodi Constit. vel similis habetur in tom. V edit. Lugdun. Cherub. sed diversâ syn-taxi exarata. Ibi incipit, *Exposito* (R. T.).

triennalis, absque participatione ministri provincialis et cuiusvis alterius dicti monasterii superioris, praedictas moniales conversas voce activâ, qua coniunctim cum choristis dicti monasterii a trecentis circiter annis gavisae fuerunt ratione electionis abbatissae monasterii huiusmodi, privare voluerit, et ad hunc effectum suffragia maioris partis dictarum choristarum mendicaverit, et unâ cum ipsis desuper quoddam capitulare decretum ediderit, aliae vero choristae unâ cum praefatis omnibus monialibus conversis decreto huiusmodi, uti invalido et contra constitutiones earum regulae expresse disponentes<sup>1</sup> nihil omnino alterari posse absque expresso totius dicti monasterii consensu, sese formaliter opposuerint<sup>2</sup>; nobis propterea dictae exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut infra providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

<sup>Decretum, de quo in rubricâ.</sup> § 2. Nos igitur, easdem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis regularium praepositorum consilio, volumus et apostolicâ auctoritate tenore praesentium declaramus, praefatas moniales conversas monasterii huiusmodi fore et esse manutendas in possessione, vel quasi, eligendi abbatissam unâ cum aliis monialibus choristis iuxta praescriptam et immemorabilem consuetudinem, in qua, ut praefertur, se se fuisse et esse contendunt.

<sup>Clausulae.</sup> § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsisque exponentibus in omnibus et per omnia suffragari, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore

<sup>1</sup> Forsan legend. *disponentis* (R. T.).

<sup>2</sup> Male edit. *Main. legit opposuerint* (R. T.).

spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum, etc., attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasterii et \*Ordinis praefatorum, etiamsi, etc., consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv novembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 15 novembris 1637, pontif. anno xv.

DLXXXVII.

*Consulit iuribus S. R. E. in electione et confirmatione imperatoris Romanorum<sup>1</sup>.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Acceptis nuper a charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hungariae et Bohemiae regi illustri binis litteris, quibus nobis significabat se in conventu electorali Ratisbonae habito in regem Romanorum futurum imperatorem electum esse, piae vero memoriae Ferdinandum Romanorum regem imperatorem electum eius genitorem brevi postmodum obiisse, idcirco in duabus cappellis pontificiis, in nostrâ et venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium praesentiâ, sacrosancto missae sacrificio solemniter celebrato, in illarum primâ respectu electionis gratiae Deo omnipotenti actae, et in secundâ pro ipsius genitoris defuncti animae refrigerio preces oblatae fuerunt. Praeterea, sicut nonnullae aliae functiones praemissorum occasione fieri solitae iussu etiam nostro factae extiterunt, ita etiam reliqua, per Romanos Pontifices praecessores nostros peragi consueta, benediciente Domino peragere, praedictisque et aliis eiusdem Ferdinandi electi litteris ad

Declarat mentem suam non fuisse per quoscumque actus ac titulos Ferdinandi II in regem Romanorum, ac fortasse etiam imperatorem, electionem confirmare.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brevium.

nos datis et dandis respondimus ac respective respondere intendimus, etiam illum regem Romanorum in imperatorem electum appellando. Verum, ne ex praedictis et quibuscumque aliis actibus et functionibus tam nostris quam quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae officialium ac ministrorum, etiam speciali notâ dignorum, etiam nunciorum apostolicorum, ac quorumcumque S. R. E. cardinalium, etiam de latere legatorum, tam publicis quam privatis, quandocumque et ubicumque ac quomodocumque factis et faciendis, ac inde sequutis et sequendis quibuscumque, possit unquam praetendi, nos electionem praedictam approbasse et confirmasse, etiamsi talis praetensio minime subsistat, cum apostolica confirmatio huiusmodi, tam de iure quam de more, nonnisi prius coram nobis exhibitis electionis et aliorum ad id requisitorum instrumentis, et praeviâ maturâ causae cognitione, in nostro consistorio secreto et sub Bullâ consistoriali concedi et expediri consueverit; nihilominus, omnem in praemissis ambigendi materiam praecidere mentemque et intentionem nostram palam facere volentes, omniumque et singulorum praemissorum, ac quorumcumque aliorum actuum et functionum hactenus et deinceps quandocumque, ubicumque et quomodocumque a nobis et aliis quibuscumque, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, etiam ecclesiasticae, status, gradus et conditionis, etiamsi individua expressione dignae extiterint et pro tempore existant, etiam de mandato nostro, et aliâs quovis modo, tam cum eodem Ferdinando electo, quam cum eiusdem Ferdinandi electi oratore et oratoribus ac ministris, etiam in Romanâ curiâ, factorum et faciendorum, et inde sequutorum et sequendorum, aliorumque hic forsâ exprimendorum et inserendorum, etiam particulari mentione dignorum, te-

nores, circumstantias et quaslibet singularitates, etiam maiores et veriores, praesentibus pro plene expressis et insertis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium serie attestamur, declaramus et decernimus, nostrae mentis, intentionis et voluntatis incommutabilis semper fuisse et esse ac deinceps fore, per omnes et singulos actus, functiones, receptiones, recognitiones et tractatus quoscumque verbo, scriptis, etiam per litteras apostolicas sub plumbo, ac in formâ Brevis, sub annulo Piscatoris, et missivas, ac facto, a nobis et respective a dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, S. R. E. vice cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, totiusque Status nostri Ecclesiastici ac quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae negotiorum generali superintendente, et a quocumque alio S. R. E. cardinali, etiam de latere legato, ac etiam a nunciis apostolicis, etiam apud eundem Ferdinandum electum nunc et pro tempore nomine nostro et Sedis Apostolicae residentibus, et a quibuscumque aliis nostris et Sedis praedictae officialibus et ministris ubicumque residentibus, etiam individua mentione dignis, etiam de mandato nostro, quandocumque, ubicumque et quomodocumque factas et pro tempore faciendas, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, etiam pluribus vicibus iteratas et iterata, ac effectum sortitas et sortita, quaecumque<sup>1</sup> et qualiacumque sint et pro tempore fuerint, etiam cum oratore et oratoribus nunc et imposterum etiam apud nos sanctamque Sedem praedictam nomine eiusdem Ferdinandi etiam uti Romanorum imperatoris electi pro tempore residente

<sup>1</sup> Perperam ed. *Main. legit quoscumque* (R. T.).

et residentibus, ac cum quibuscumque aliis ipsius Ferdinandi electi officialibus, ministris, procuratoribus et plenipotentiaris, quavis occasione et causâ, etiam ratione foederis universalis, ac defensionis et propagationis fidei catholicae, et quavis aliâ, etiam particulari expressione dignâ, hactenus et pro tempore facta, tractata et gesta, faciendaque, tractanda et gerenda, necnon per quascumque denominationes, inscriptiones, appellationes, nuncupationes et narrativas, in favorem praedicti Ferdinandi in regem Romanorum futurum imperatorem electi, per quoscumque, etiam nomine nostro et Apostolicae Sedis, ac etiam per nos quomodolibet factas et pro tempore faciendas, illum etiam regem Romanorum in imperatorem electum appellando, ac etiam per quemcumque oratoris et oratorum ad nos et Sedem Apostolicam ab eodem Ferdinando electo destinati et destinorum missique et mittendorum receptionem et admissionem ad audientiam nostram et ad osculum pedum nostrorum, cum quibuscumque apparatibus, caeremoniis, circumstantiis, praerogativis, antelationibus, etiam publicis, etiam extraordinariis et insolitis, quomodolibet, expresse vel tacite, hactenus concessis et datis, concedendis et imposterum dandis, etiam tamquam oratori et oratoribus Romani imperatoris electi, non intellexisse nec voluisse, minusque imposterum intelligere nec velle praedictam eius electionem approbare nec confirmare, quinimmo nostrae mentis et voluntatis fuisse, ac deinceps fore, ut, iuxta consuetum, confirmatio apostolica huiusmodi per praedictum Ferdinandum electum petatur, et per litteras apostolicas consistoriales a nobis et S. R. E. cardinalibus subscriptas expediri impetretur<sup>1</sup>, et interim nedum omnem approbationem et

<sup>1</sup> Ed. Main. legit *impetratur* (R. T.).

confirmationem, sed etiam cuiuscumque approbationis et confirmationis expressae et tacitae concessionem et quemcumque eius effectum suspendimus suspensamque et suspensum fuisse et esse ac deinceps fore declaramus, ac pro suspensis haberi volumus et decernimus.

§ 2. Praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse quomodolibet habentes et habere praetendentes, cuiuscumque status, gradus, qualitatis, dignitatis et conditionis existant et existerint, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, notari, impugnari, infringi, seu redargui nullatenus posse, neque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, moderationibus, derogationibus, ac quibuscumque aliis contrariis dispositionibus generalibus, etiam motu, scientiâ, deliberatione ac plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac aliâs quomodolibet, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros faciendis, comprehendî; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus quibuscumque, tam apostolicis quam imperialibus, ac cancellariae apostolicae regulis, etiam individuum derogationem requirentibus; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis

Hanc declarationem opportunis clausulis firmat.

Derogatioque contrariis.

tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum inserta mentio habenda foret, tenores huiusmodi, etiam maiores et veriores, pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium et singulorum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die III decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 decembris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXVIII.

*Confirmatio decretorum sacrae congregationis Concilii super bono regimine cancellariae archiepiscopatus Turritani.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Dabit ab archiepiscopo Turritano proposita Congregationi Concilii.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater archiepiscopus Turritanus, quod aliâs (pro eius parte venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus exposito archiepiscopum Turritanum ipsius moderni archiepiscopi praedecessorem cancellariam mensae archiepiscopalis Turritanae donasse cuidam familiari cum omnibus emolumentis, salariis et stipendiis, et propterea ab eisdem venerabilibus fratribus pro parte eiusdem archiepiscopi quaesito: 1. utrum donatarius ipse, relicto titulo secretarii vel notarii aut cancellarii seu magistri actorum, possit assumere sibi nomen et titulum domini utilis praedictae cancellariae; 2. utrum praedictus donatarius teneatur stare taxationi salariorum et stipendiorum factae a dictis venerabilibus fratribus nostris, dicit enim se non teneri ad servandam ullam taxam, quia non fuit auditus neque citatus ad

Bull. Rom. — Vol. XIV.

79

videndum taxari salaria suae cancellariae, unde pro collatione seu possessione unius beneficii accipit a proviso quantum ipsemet aestimat valorem beneficii; 3, quia in donatione cancellariae praedictae, auctoritate apostolicâ confirmatâ, electa<sup>1</sup> fuit donatarii industria et experientia multorum annorum quibus eam administrabat, utrum possit eam locare, aut exercere per substitutum, qui se subscribat in actis: *talis pro tali domino utili cancellariae Turritanae*, et utrum liceat ei assumere scribas ad libitum suum, etiam ignaros, absque approbatione dicti archiepiscopi, eique non benevisos)

§ 2. Cardinales praedicti ad 1<sup>um</sup> responderunt cancellarium praedictum non posse nomen utilis domini cancellariae archiepiscopalis sibi assumere; ad 2<sup>um</sup> vero non posse dictum cancellarium pro expeditione litterarum collationis vel institutionis quorumcumque beneficiorum, vel pro deputatione vicariorum in illis, accipere nisi mercedem labori suo convenientem, quae tamen, cum scripturis, sigillo et ceteris computatis, unum aureum non excedat, atque eundem cancellarium ad ita observandum ab archiepiscopo compelli posse; ad 3<sup>um</sup> denique huiusmodi cancellarium non posse cancellariam locare alteri, qui se subscribat *N. pro tali domino utili cancellariae*, nec in ipsâ cancellariâ notarios imperitos, aut aliâs sine approbatione archiepiscopi, assumere.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus archiepiscopus praemissa, quo firmiter subsistant et inviolabiliter observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri desideret:

§ 4. Nos, eius votis huiusmodi benigne annuere, illumque specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et

<sup>1</sup> Forsan legendum *adducta* (R. T.).

Sacrae Congregationis resolutio.

Archiepiscopus praedictam resolutionem potuit confirmari.

Confirmat Pontifex.



## DLXXXIX.

*Falculas nuncio apostolico apud imperatorem liberandi archiepiscopum electorem Treverensem e custodia in qua per biennium nomine Sanctae Sedis detentus fuit<sup>1</sup>.*

Venerabili fratri Malatestae episcopo Pisaurensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nostro et Sedis Apostolicae nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,  
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum annis praeteritis non sine animi nostri molestia accepissemus, venerabilem fratrem Philippum Christophorum archiepiscopum Treverensem principem electorem et episcopum Spirensem, ob nonnullas praetensas causas in eius civitate Treverensi per milites charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici in eam irrumpentes captivum ductum et detentum fuisse, et tunc etiam detineri, nos, pro nostri pastoralis officii debito desuper opportune providere volentes, et ut personae, pontificali dignitati, libertatique ecclesiasticae ac iustitiae consuleretur, fraternitati tuae, ut praedictus Philippus Christophorus archiepiscopus tibi libere traderetur, et cum effectu consignaretur, curandi, eumque nostro et Apostolicae Sedis nomine recipiendi ac detinendi, seu detineri et custodiri faciendi, omniaque alia et singula, quae in praemissis necessaria seu opportuna forent, gerendi et exequendi facultatem concessimus et impertiti sumus, prout in nostris desuper in simili

<sup>2</sup> Ex Regest. in Secret. Brev. — Commissum huic eidem nuncio, ut archiepiscopum Treverensem in sui custodiam reciperet, vide superius in Const. CDLXXXIV, quae incipit, *Cum superiori-* bus, pag. 485 huius tomi.

Refert datam alias se nuncio apostolico facultatem recipiendi in custodiam archiepiscopum Treverensem.

interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praemissa huiusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem praemissis quomodolibet intervererint, supplemus.

Clausulae. § 5. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinerè, ac a cancellario praedicto, sub poenam privationis cuiuscumque sui iuris quoad dictam cancellariam sibi etiam ex concessione apostolica quaesiti in eventum inobedientiae seu contraventionis, aliisque, ad quos spectat et spectabit, in futurum inviolabiliter observari; et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, ecclesiae Turitanae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 12 decembris 1637, pontif. anno XV.

formam Brevis litteris, sub die ultimam iunii MDCXXXV expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur<sup>1</sup>.

Cum vero nihil per biennium contra illum fuerit deductum, § 2. Cumque in executionem praedictarum nostrarum litterarum idem Philippus Christophorus, archiepiscopus et elector Treverensis ac episcopus Spirensis, tibi etiam nomine pie memoriae Ferdinandi II regis Romanorum in imperatorem electi consignatus, et hucusque per te fuerit detentus, et tamen spatio biennii coram nobis et coram te contra ipsum Philippum Christophorum, archiepiscopum electorem et episcopum, nihil deductum et probatum existat, cuius vigore ille iuxta canonicas sanctiones retineri et custodiri debeat:

Eidem nuncio facultatem datum dimittendi. § 3. Idcirco nos, calamitatibus et damnis, tam personae pontificali et electorali, quam ecclesiae insignibus suis praedictis, propterea illatis, ac etiam per eius litteras nuper nobis scriptas significatis, paternam charitate compatiens, et, ne ipse amplius detineatur, ecclesiae vero diutius earum pastore destitutae sint, et propter eius absentiam maius detrimentum patiantur, quantum cum Domino possumus etiam providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut eundem Philippum Christophorum Treverensem archiepiscopum et electorem ac episcopum Spirensem a praedicta detentione et custodia penitus auctoritate apostolica dimittas et liberes, licentiamque recedendi eidem concedas, ut apud ecclesias suas praedictas residere, illasque ut prius regere et gubernare, eiusque dioecesanos et subditos verbo et exemplo pascere possit et valeat, eadem auctoritate, tenore praesentium, committimus et mandamus.

Obstantia tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac

1 Quas vide supra pag. 485 (R. T.).

constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et in conciliis generalibus et provincialibus ac synodalibus, ac aliis, in genere et in specie, editis, et praesertim illa recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII de una, et concilii generalis de duabus dietis, necnon praedictarum ecclesiarum, ac aliarum quarumcumque, et capitulorum ac personarum quomodolibet qualificatarum privilegiis et indultis, ac etiam statutis, etiam iuramento firmatis, et a Sede Apostolica etiam per nos semel et pluries approbatis et confirmatis, consuetudinibusque etiam longissimis et immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque; quorum omnium et singulorum tenores etiam ampliores pro plene expressis habentes, illis ad praedictum effectum plenissime derogamus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 17 decembris 1637, pontif. anno XV.

## DXC.

*Manutentio archiepiscopi electoris Treverensis in possessione, et quasi, in qua tempore suae detentionis erat, respectu ecclesiarum, abbatiarum, statuum et aliarum dignitatum, cum facultate nuncio apud imperatorem cognoscendi et terminandi causas contra eum motas et movendas<sup>1</sup>.*

Venerabili fratri Malatestae episcopo Pisaurensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,  
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Postquam venerabilis frater Philippus Christophorus archiepiscopus et elector

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Recenset litteras praecedentes.

ctor Treverensis ac episcopus Spirensis annis proxime elapsis in suâ civitate Treverensi manu militari captus et detentus, et deinde fraternitati tuae etiam nomine piaae memoriae Ferdinandi II regis Romanorum in imperatorem electi de mandato nostro consignatus fuit, idem Philippus Christophorus archiepiscopus, elector et episcopus ita detentus ac de facto impeditus extitit et ad praesens existit, ut regimen et gubernium tam praedictarum suarum ecclesiarum ac monasterii S. Maximini Ordinis sancti Benedicti dioecesis Treverensis aliàs per nos eidem in commendam concessi quam alias suas dignitates et iura quaecumque sibi competentia ut prius exercere non potuerit neque possit, pristinam tamen illarum et illorum possessionem, et quasi, respective animo semper retinuit et retinet. Quapropter, cum per biennium, et ultra, quo tempore fuit detentus, aliquod non fuerit coram nobis nec coram te contra ipsum Philippum Christophorum deductum, probatumque, cuius vigore ipse iuxta universalium conciliorum et sacrorum canonum dispositionem debeat detineri; ideo nos hodie per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras tibi dedimus in mandatis, ut eundem Philippum Christophorum archiepiscopum, electorem et episcopum praedictum auctoritate nostrâ dimitteres et liberares a detentione praedictâ, ut apud suas ecclesias praedictas ut prius residere valeret.

§ 2. Quia vero nobis idem Philippus Christophorus archiepiscopus et elector Treverensis ac episcopus Spirensis per suas litteras sub die xx mensis novembris proxime praeteriti in civitate Viennensi ad nos scriptas supplicavit, quatenus sibi ordinem et mandatum nostrum apostolicum de manutenendo manutenentiam ibi nuncupatum<sup>1</sup> concedere dignemur:

<sup>1</sup> Nescio an legi debeat *nuncupatam* (R. T.).

§ 3. Nos, eius supplicationibus inclinati, ac simul etiam providere volentes ne ex suâ, ut praefertur, detentione et absentia tam diurnâ a suis ecclesiis et statibus maiores molestiae, maioraque sibi incommoda et impedimenta accrescant, praesentium nostrarum litterarum serie eundem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem ac episcopum Spirensis in eadem possessione, et quasi, respective et in eodem statu in qua et in quo erat de tempore, quo, ut praemititur, captus et detentus fuit, respectu praedictarum ecclesiarum ac monasterii S. Maximini ac dignitatum, statuum et iurium quorumcumque suorum, manutenemus, manutenerique volumus et mandamus, mandatumque nostrum apostolicum de eundem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem ac episcopum Spirensis et commendatarium praedicti monasterii in eius possessione, et quasi, respective, ac statu praedictis manutenendo, et conservando ibi manutenentiam nuncupatum<sup>1</sup>, decernimus et concedimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis et aliis arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis eius subditis et vassallis tam ecclesiasticis quam secularibus quibuscumque, etiam capitulis ecclesiarum et conventibus monasteriorum, et praesertim S. Maximini praedicti, quatenus eundem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem episcopumque Spirensis et commendatarium praedictum in pastorem, principem, commendatarium et superiorem respective, ut prius ante detentionem recognoscebant, ita impostrarum recognoscant, eique debitam obedientiam et reverentiam praestent.

§ 4. Quocirca fraternitati tuae committimus et mandamus, ut contra omnes et singulos reclamantes, seu contravenientes,

<sup>1</sup> Vide an legend. *nuncupatam* (R. T.).

Mandatum, de quo in rubrica, concedit Urbanus;

Cum commissione nuncio apostolico cognoscendi quascumque causas

contra motas;

illam prout iuris fuerit, procedas, ac quascumque querelas et petitiones contra ipsum Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem ac episcopum Spirensis et commendatarium porrigendas et dandas super quibuscumque negotiis et causis, non tamen in Romanâ curiâ pendentibus, cognoscas, sineque debito, prout iuris fuerit, termines.

Cui necessarias ad id concedit facultates.

§ 5. Nos enim ad praedicta omnia et singula cognoscendum et prout de iure terminandum facultatem opportunam et amplam tibi concedimus, cum potestate citandi quos, quibus, quando et quoties opus fuerit, illisque inhibendi, etiam sub sententiis, censuris et poenis, etiam pecuniariis, tuo arbitrio infligendis, moderandis et applicandis, statum et meritum et controversiarum statum, nominaque et cognomina litigantium, iudicium et tribunalium, etiam speciali mentione dignorum, omniumque praemissorum ac aliorum quorumcumque de necessitate exprimendorum tenores pro plene expressis habentes. Quibus omnibus et singulis plenissime derogamus.

Clauulas necessarias apponit.

§ 6. Praesentes quoque litteras de subreptionis, vel obreptionis, ac nullitatis vitio, intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, non fuerint ad id vocati, nec auditi, aut ex quacumque aliâ ratione vel causâ, impugnari et notari non posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam sacri palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac nuncios, et alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibuslibet constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus et aliàs editis, ac cancellariae nostrae regulis, et praesertim illâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, necnon praedictarum ecclesiarum et capitulorum et conventuum ac personarum quomodolibet qualificatarum privilegiis et indultis, ac statutis, etiam iuramento firmatis, ac confirmâione apostolicâ semel et pluries roboratis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Quorum omnium et singulorum tenores pro plene expressis habentes, illis ad istum effectum plenissime derogamus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii decembris mdcxxxvii, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 17 decembris 1637, pontif. anno xv.

#### DXCI.

*Facultas eidem nuncio concordandi cum partibus nomine praedicti electoris super controversiis contra ipsum motis et movendis<sup>1</sup>.*

Venerabili fratri Malatestae,  
episcopo Pisaurensi,  
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,  
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum hodie per alias nostras in simili formâ Brevis litteras tibi commiserimus, ut venerabilem fratrem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem ac episcopum Spirensis a detentione et custodia, qua<sup>2</sup> per te de mandato nostro nomine piaae memoriae

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

Contrariisque derogat.

Recenset praecedentes litteras.

## DXCII.

*Conceditur archiepiscopo Treverensi sacri Romani imperii electori, ut pro electione regis Romanorum suffragium suum ferre possit, perinde ac si conventui electorali interfuisset<sup>1</sup>.*

**Venerabili fratri Philippo Christophoro episcopo Treverensi, sacri Romani imperii principi electori, Urbanus Papa VIII.**

**Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.**

§ 1. Aliàs, sub die xx augusti anni praeteriti MDCXXXVI, per diversas nostras litteras in formà Brevis sub annulo Piscatoris expeditas, et fraternitati tuae aliisque electoribus directas<sup>2</sup>, decrevimus electionem regis Romanorum esse faciendam, et considerantes in eà complures defectus intercessuros, quia duo electores haeretici ei intervenire debebant, quodque ad electionem novi regis Romanorum procedebatur alio rege Romanorum in imperatorem electo tunc vivente et adhuc non coronato, praedictos defectus electioni faciendae minime obviare volumus.

§ 2. Verum quia, ut nobis nuper exponi fecisti, eadem litterae nostrae tibi redditae non fuerint, imo, te non vocato, sed absente ac contempto, ad electionem praedictam deventum fuerat<sup>3</sup>, tu autem suffragium et votum tuum praestare exoptaveris et exoptes, propterea nobis humiliter supplicari fecisti, quatenus ad id sufficientem facultatem et dispensationem tibi concedere dignaremur.

§ 3. Nos igitur, desiderio tuo hac in parte satisfacere volentes, supplicationibus tuis inclinati, fraternitati tuae praesentium litterarum nostrarum serie concedimus, tecumque dispensamus, ut, non obstante

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Unam harum litterarum formam habes supra pag. 556 (R. T.).

<sup>3</sup> Aptios lege fuerit (R. T.).

Pontifex electoribus potestatem fecerat deveniendi ad electionem imperatoris.

Electo Treverensi petit licere sibi nunc suum ferro suffragium.

Facultatem ad id concedit Urbanus.

Ferdinandi II Romanorum in imperatorem electi detinebatur, liberares ac dimitteres, ut apud suas ecclesias residere valeret; et deinde per alias nostras in simili formà Brevis expeditas litteras, ut facilius et quietius ipse Philippus Christophorus archiepiscopus, elector et episcopus regimini et gubernio suarum ecclesiarum et statuum praedictorum incumbere possit, mandatum de ipsum Philippum Christophorum archiepiscopum, electorem et episcopum manutenendo in possessione et statu, in quo vel quibus de tempore capturae ac detentionis suae reperiebatur, concessimus<sup>1</sup>:

§ 2. Nunc autem, ut, quantum in Domino possumus, eundem Philippum Christophorum aetate gravem a quibuslibet litibus et molestiis liberemus, tenore praesentium tibi etiam committimus et mandamus, ut controversias quascumque motas et movendas, quibus idem Philippus Christophorus archiepiscopus, elector et episcopus et commendatarius respective molestatur, seu imposterum vexari contigerit a suis subditis quibuscumque, componere et concordare cures et studeas, ac, ut partes, cum praedicto Philippo Christophoro archiepiscopo, electore et episcopo litigantes seu contententes, ad concordiam reducantur, te amicabiliter interponas, sine praeiudicio litium et causarum in Romanà curià pendentium. Nos enim ad id tibi sufficientem et opportunam facultatem concedimus.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 17 decembris 1637, pontif. anno xv.

<sup>1</sup> Forsan legendum concesserimus: ceterum utrasque litteras habes ante istas relatas (R. T.).

quod non fueris prout alii electores vocatus, votum et suffragium tuum ferre possis, et de eo habeatur ratio, perinde ac si conventui electorali interfuisses, et inibi cum aliis electoribus illud tulisses seu ferres.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xviii decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 18 decembris 1637, pontif. anno xv.

## DXCXIII.

*Super praecedentiâ inter regulares diversorum Ordinum<sup>1</sup>.*

**Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Blasii a Cherso procuratoris generalis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum nobis expositum fuit, quod dictus Ordo gravatur admodum litibus occasione praecedentiae cum aliis aliarum religionum regularibus in processibus, ex quo (etiãsi aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis regularium praepositis diversas<sup>2</sup> in praefatâ materiâ praecedentiae, unam videlicet contra eiusdem Ordinis de Observantiâ nuncupatos Arbensis, aliam contra Servorum Beatae Mariae Virginis Soanensis, necnon duas alias litteras contra Praedicatorum respective Ordinum fratres Cassanensis et Ferentinus<sup>3</sup> obtinuerit tenoris subsequentis, videlicet:

§ 2. Arbi. All'arcivescovo. Pare, che sia nata differenza della precedenza tra cotesti frati di san Francesco Conventuali ed Osservanti, allegando ogni un di loro alcune ragioni, per le quali si persuadono di dover precedere a gli altri, le quali essendosi diligentemente considerate nella Congregazione di questi miei illustrissimi signori preposti da Nostro Signore sopra le cause de' vescovi e regolari, s'è risoluto, etiam con il parere dell'illustrissimi protettori di tutte due le religioni, di far scrivere a V. S. che, occorrendo più simili differenze, le termini senza alcuna eccezione nell'istesso modo, che quel convento tenga il primo e più degno luogo che è più antico nella città, secondo che s'è fatto fin'ora, per quanto si presuppone, imperciocchè questo mezzo usato altrove è stato tale che ha finito ogni controversia, come si spera che farà anche costi per mezzo della prudenza e destrezza di V. S.: e Dio, ecc. Roma, 6 marzo 1582.

§ 3. Al vescovo di Soana, o suo vicario. Havendo inteso questi miei signori illustrissimi, che in cotesta città sono in disparere di precedenza li frati de' Servi con quelli di san Francesco Conventuali, hanno voluto che io faccia sapere a V. S. che nella precedenza di questi frati Mendicanti, secondo il parere di Nostro Signore, s'attende solamente l'antichità dei loro conventi, cioè che precedano quelli che prima hanno ottenuto li monasteri nei luoghi ove è nata la differenza; e perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedano, li quali prima sono venuti ad abitare in cotesta città, che sarà appunto conforme a quello che s'è risoluto ed osservato in altri luoghi, ecc. Roma, li 24 di maggio 1583.

§ 4. Al vescovo di Cassano. Fu dato in Congregazione un memoriale dal procuratore generale de' frati Conventuali di

<sup>1</sup> Cum de hac materie non possit dari certa regula, sacra Congregatio S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita censuit servandas esse litteras Gregorii XIII et has Urbani VIII.

<sup>2</sup> Male edit. Main. legit *diversis* (R. T.).

<sup>3</sup> Legendum foret *Ferentini* (R. T.).

Archiepiscopo Arbeni.

Episcopo Soanensi.

Episcopo Cassanensi.

Contrariis derogat.

Motiva.

Derogat obstantibus.

san Francesco a nome del suo monastero di Castrovillari di cotesta diocesi, nel quale si doleva, che alcuni padri di san Domenico, che poco fa hanno pigliato luogo nella medesima terra, pretendevano nell'azioni pubbliche di precederli, non ostante che già sieno trecentocinquanta anni che quel monastero di san Francesco è fondato; e sapendosi, che Nostro Signore altre volte aveva dichiarato come si doveva procedere, in simili casi, questi miei signori illustrissimi vollero che se ne desse conto a Sua Beatitudine, la quale ha commesso, che si scriva a V. S. che faccia avere la prerogativa, ove nascono queste novità, alle religioni, che sono a detti padri di san Domenico, ed oprerà che così si eseguisca. Roma, li 24 maggio 1583.

Episcopo Ferentino.

§ 5. Ferentino. Al vescovo. Nella differenza che verte tra cotesti frati di san Domenico e quelli di san Francesco per conto della precedenza, la sagra Congregazione vuole che s'osservi per l'avvenire quello che è stato osservato tra loro per il passato, sin tanto che non sia destinato altro, ed inclina che, conforme al moto proprio di Gregorio XIII di felice memoria, debbano precedere quelli che prima hanno avuto il luogo nella città; ed i decreti, che si allegano per parte de' frati di san Domenico in contrario, non sono stati fatti per derogare generalmente al moto proprio di Gregorio XIII, oltre che in quelle occasioni militavano altre ragioni di quelle che possano militare costì. Questa è la mente di questi illustrissimi miei signori, ed ella la doverà eseguire; e Dio, ecc. Roma, il primo giugno 1604)

Qui sunt in possessione praecedentiae praecedant.

§ 6. Attamen in casibus occurrentibus eadem litterae reputantur provisiones particulares, non autem declarationes generales, dictique fratres Conventuales nova

1 Heic deest verbum *anteriori* (R. T.).

semper iudicia iisdem de rebus subire coguntur: quare dictus Blasius procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut circa praedictarum litterarum observantiam per aliquod opportunum declarationis nostrae ministerium providere, ac aliàs ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictum Blasium procuratorem generalem huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium eisdem regularium negotiis praepositorum consilio, praesertim litteras ab eisdem cardinalibus aliàs utcumque in casibus particularibus emanatas, cum innitantur<sup>2</sup> iustitiae motus proprii Gregorii XIII hac de re editi, et sint conformes declarationibus sacrarum Concilii Tridentini ac Rituum congregationum, ut qui sunt in possessione praecedentiae praecedant, et, ubi non probatur aut non constat de possessione, praecedant ii qui sunt antiquiores in loco controversiae, esse generaliter observandas ubicumque contigerit de eadem praecedentiâ dubitari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus.

§ 7. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedicto-

1 Male ed. Main. legit *subiri* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *innitentur* (R. T.).

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

rum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, illorumque superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenore et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xviii decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 18 decembris 1637, pontif. anno xv.

#### DXCIV.

*Commissio gubernatori Marchiae circa repositionem coronae super insignibus civitatis Maceratensis*<sup>1</sup>.

Dilecto filio, provinciae nostrae Marchiae gubernatori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem

Exordium.

Sincerae fidei et devotionis affectus, quo dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Maceratensis nos et Romanam reverentur Ecclesiam, nos inducunt<sup>1</sup>, ut illos specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Comunitatis Maceratensis petitio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dicti communitas et homines, quod, licet civitas praedicta, a multis annis citra,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Legendum foret *inducit* (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XIV.

coronam super illius insignibus imponere consueverint, non solum eo iure nixi quia civitas huiusmodi dictae provinciae caput, illiusque legatorum seu gubernatorum residentia et universitate studii generalis multisque aliis praerogativis ornata existit etiam ab antiquissimo tempore, sed etiam quia quoddam dictae civitatis antiquum insigne ex lapide quod<sup>1</sup> in ipsius civitatis fonte maiori coronatum extat, nihilominus quaedam dictae civitatis insignia, coronis ut praefertur ornata, in aversâ parte sedilium seu subselliorum magistratus civitatis huiusmodi in ipsâ cathedrali ecclesiâ existentium insculpta, et alibi etiam existentia, amota et confracta fuerunt, non sine maximâ dictorum communitatis et hominum perturbatione, ac evidenti alicuius scandali exinde forsitan orituri periculo;<sup>2</sup> nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, publicae illorum quieti, pacique, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus omnia, quoad coronam super insignibus dictae civitatis, in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum auctoritate nostrâ restituas, reponas et plenarie reintegres.

1 Vox quod praeter syntaxim est (R. T.).

2 Aptius praemitteretur coniunct. et (R. T.).

Commissio, de qua in rubrica.



Factaque potestas cuilibet in contrarium sua iura deducendi.

§ 3. Si vero contigerit aliquem vel aliquos cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, et speciali et individuâ expressione et notâ dignos, quidquam in contrarium praemissorum praetendere, volumus, et apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, quod ipsi iura sua coram nobis deducant et deducere debeant; nos enim causam et negotium huiusmodi ad nos harum serie advocamus.

Derogatio contrarium.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv ianuarii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 15 ianuarii 1638, pontif. anno xv.

## DXCV.

*Quod imagines sanctorum Augustini, Nicolai de Tolentino et aliorum sanctorum Ordinis sancti Augustini depingi nequeant cum habitu quo Discalceati utuntur.*

**Urbanus Papa VIII,**  
ad perpetuam rei memoriam.

Preces procuratoris generalis Ordinis sancti Augustini.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini, quod, cum ipse venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis exposuisset, qualiter dilecti filii patres Discalceati, eiusdem Ordinis, tum Romae, tum multis aliis in locis, imprimebant et depingebant imagines sanctorum Augustini, Nicolai Tolentinatis et aliorum eiusdem Ordinis sanctorum cum habitu quo ipsi Discalceati utuntur, quodque id vergebat in maximum praeiudicium eiusdem Ordinis, et in dies dare poterat occasionem plu-

rium controversiarum et scandalorum, dicti cardinales hac super re ediderunt decretum tenoris subsequens, videlicet:

§ 2. Referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Verospio petitionem supradictam ad instantiam procuratoris generalis Ordinis sancti Augustini, sacra rituum Congregatio, citatis et auditis partibus, censuit, imagines sancti Augustini, sancti Nicolai de Tolentino et aliorum sanctorum eiusdem Ordinis sancti Augustini, impressas aut depictas a fratribus Discalceatis eiusdem Ordinis cum habitu quo ipsi Discalceati utuntur, suspendendas et abolendas esse, iniungendumque dictis fratribus Discalceatis, ne, sub poenis arbitrio huius sacrae Congregationis, talia amplius audeant peragere. Et ita omnino servari mandavit. Die XIX decembris MDCXXXVII.

Sacrae Congregationis rituum decretum.

§ 3. Ut autem decretum huiusmodi firmiter subsistat, exactiusque ab omnibus, ad quos spectat, observetur, nobis idem procurator humiliter supplicari fecit, quatenus illud apostolicae confirmationis robore communire de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictum procuratorem specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum quantumvis substantialium et quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut in-

Confirmatur et approbatur, suppleturque defectus.

tervenisse dici vel censi possint in eodem, supplemus.

Mandat observari cum decreto irritante.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; sicque ab omnibus censi, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, illiusque domorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, et aliâ in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae seu generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

1 Praemitte etiam cum (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII ianuarii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 23 ianuarii 1638, pontif. anno xv.

## DXCVI.

*Confirmatio statutorum universitatis exoneratorum cymbarum seu navium almae Urbis<sup>1</sup>.*

**Urbanus Papa VIII,**  
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et homines artis exoneratorum cymbarum seu navium almae Urbis nostrae, quod pro bono felicitique regimine et gubernio dictae universitatis nonnulla statuta edita fuerunt tenoris subsequens, videlicet:

Expositio ex parte universitatis artis exoneratorum cymbarum almae Urbis.

*Statuti e nove reformazioni della Compagnia de' scaricatori di barche di Roma.*

La Compagnia de' scaricatori di barche, dependente, e sotto la protezione della venerabile archiconfraternita del glorioso san Rocco di Roma, solita da tempo immemorabile esigere da tutti i scaricatori di barche di Roma elemosine da offerirsi ogni anno nella festa del detto santo per sussidio della sua chiesa ed ospedale, avendo fin dall'anno MDLXVI, per la direzione e buon governo di essa Compagnia, fatti alcuni statuti confermati in camera apostolica, e per osservanza di essi ottenuto il mandato dal signor cardinale camerlengo di santa Chiesa per li atti di Camillo Gavetano, notaro di camera, sotto il di XXII settembre MDXCII, desiderando adesso riformarli secondo il presente bisogno; perciò in questo giorno... MDCXXXV nel pontificato di nostro signore Papa Urbano VIII, in piena congregazione generale di detti scaricatori legittimamente congregata a quest'effetto nel salone di

Sequuntur nonnulla statuta dictae universitatis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

san Rocco, come per li atti di Tranquillo Pizzutti, notaro e segretario di detta archiconfraternita, ha stabilito, riformato e rinnovato rispettivamente gl' infrascritti capitoli e statuti da osservarsi per l'avvenire in perpetuo, avutane però prima dalla Santità di Nostro Signore, camera apostolica, o altri, a chi spetti, la dovuta confermazione.

## CAPITOLO I.

Che il giorno di san Rocco, avvocato della Compagnia, nel salone solito della archiconfraternita di detto Santo si elegga nella congregazione generale un signore e quattro camerlenghi, quali eletti debbano prontamente accettare la carica ed officio sotto pena d'uno scudo d'oro in oro per ognuno, e quando il signore, dopo aver accettato questo giorno la mazza, volesse renunciarla prima dell'anno che durerà il suo officio, debba pagare scudi cinque di moneta; e la sopraddetta pena d'uno scudo d'oro in oro pagheranno similmente tutti quelli, quali, eletti legittimamente a qualch'altro officio, non vorranno accettarlo, mentre però non avessero qualche legittimo impedimento da approvarsi dalla medesima congregazione.

## CAPITOLO II.

Chi non essendo legittimamente impedito mancherà d'intervenire alla suddetta congregazione generale di san Rocco, che s'intende ogn'anno intimata senz'altra notizia, pagherà scudo uno d'oro per volta, e chi mancherà poi nelle altre congregazioni generali che s'intimeranno fra l'anno, non essendo come sopra impedito, pagherà due carlini per volta (dichiarando però che non possa il signore farla intimare senza consiglio e partecipazione delli quattro camerlenghi); e chi lascerà d'accompagnare il signore e camerlenghi

all'offerta che si farà il giorno di san Rocco, senza legittimo impedimento, pagherà la stessa pena di due carlini.

## CAPITOLO III.

La congregazione generale si farà sempre nel solito salone grande di san Rocco, e per intimarla s'affiggeranno i bollettini d'avviso a Ripetta nuova e vecchia, il che basterà per costituire contumace e dichiarare incorso nella suddetta pena di due carlini chi, non essendo legittimamente impedito, avrà mancato d'intervenirvi, e s'intenderà in sufficiente numero congregata ogni volta che vi saranno venti scaricatori, con li quali potrà risolvere e deliberare tutto quello che farà di bisogno per servizio della detta compagnia, come se vi fossero intervenuti tutti gli altri scaricatori di Roma.

## CAPITOLO IV.

Tutti i scaricatori che lavorano la barella in qualsivoglia ripa e luogo di fiume qui in Roma, o che scaricano legne di passo in qualsivoglia luogo tanto con li bronzi quanto a spalla, o in ogni altro modo che lavorano di legna, e tutti li caporali de' scaricatori di fascina, fascinnaccia, scaglia, travi, travicelli, tavole e qualsivoglia altra roba ripale che viene per fiume a Ripetta, Ripagrande e Marmorata, ed ogni altro luogo di Roma, pagheranno giuli quattro per ciascheduno ogni anno in mano del signore *pro tempore* il primo giorno che lavoreranno, o quando parerà al detto signore di riscuoterli; e quelli lavoratori che scaricano fascine, fascinaccie, scaglie o altre robe ripali, pagheranno nell'istesso modo come sopra quindici baiocchi l'anno; oltre la qual somma li signori *pro tempore*, tanto vecchio quanto nuovo, saranno tenuti di pagare ogni anno per la festa di S. Rocco giuli quattro, e tutti quelli che entreranno

di nuovo a lavorare o scaricare con la barella roba ripale che venga per fiume a Roma, pagheranno in mano del signore, subito che entreranno a lavorare, scudo uno di moneta, e mancando essi sia tenuto per loro quel caporale che gli avrà chiamati a lavorare.

## CAPITOLO V.

Sarà cura e pensiero del signore *pro tempore* di riscuotere li denari di tutti quelli che devono pagarli tanto per la solita paga annuale come per quello che si deve da chi comincerà a lavorare ed esercitare l'arte di scaricatore, come sopra nel capitolo antecedente, e per la pena di qualche mancamento, con autorità assoluta, mostrati però prima alli debitori li presenti ordini e statuti, di costringerli a pagare rigorosamente e farli fare l'esecuzione, e senza precedente citazione, da qualsivoglia esecutore di Roma, quale per sua mercede non potrà pretendere né avere più d'un carlino per ciascheduna esecuzione; e chi ricuserà pagare quel che deve, e non avrà compito avanti il giorno dell'offerta, sarà tenuto, oltre il debito, alla pena di giuli sei tante volte quante lascerà di soddisfare; e mancando il signore di riscuotere, sia tenuto compire del proprio tutto quello che, per suo mancamento o per non avere fatte le dovute diligenze, non sarà stato riscosso durante il suo officio.

## CAPITOLO VI.

Sarà cura ed obbligo delli camerlenghi *pro tempore* d'accompagnare uno per volta il signore quando anderà a riscuotere li denari, a comprar la cera per la candela, o fare altro negozio spettante alla Compagnia, e mancando di andarci pagherà ciascun di loro per ogni volta due carlini, avvertendo il signore chiamarli a vicenda, acciò resti la fatica ripartita.

## CAPITOLO VII.

Il signore della Compagnia, mese per mese, darà minuto conto alli quattro camerlenghi, e al signore vecchio, di tutto quello che avrà riscosso in quel mese, ed alla loro presenza lo metterà nella cassa della Compagnia che si tiene a quest'effetto dentro l'ospedale o altro luogo privato di detta chiesa, serrata con due chiavi differenti da ritenersi una dal signore vecchio e l'altra dal signore nuovo; della qual cassa non potranno mai cavare denaro alcuno, nè pure in minima quantità, per qualsivoglia causa urgente e necessaria, senza consenso ed intervento delli camerlenghi, sotto pena di scudi cinque per ogni volta che contraffaranno, da rimettersi in detta cassa subito con tutto quel denaro che avessero levato; nella quale si custodirà per farne poi l'offerta a S. Rocco il giorno della sua festa, come si dirà a suo luogo; ed ogni volta che si metterà, come sopra, denari nella cassa, se ne farà distinta nota in un libro a parte da tenersi a posta per quest'effetto; e mancando il detto signore di dare il detto conto e metter come sopra li denari nella cassa a suo tempo, li detti camerlengo ed il signore vecchio, e ciascheduno di loro in solido, possa e debba astringerlo, anche per via di ragione, a render detti conti e metter subito li denari riscossi nella cassa, nella quale diligenza mancando, li suddetti signori vecchio e camerlenghi saranno tenuti a supplire del loro proprio tutto quello che resterà debitore il detto signore *pro tempore*.

## CAPITOLO VIII.

Il giorno della festa di S. Rocco ogni anno in perpetuo si farà l'offerta di tutto il denaro che si troverà nella detta cassa alla chiesa ed ospedale di S. Rocco, acciò servi per li bisogni di detta chiesa

ed ospedale, come parerà meglio alli signori primicerio e guardiani d'esso.

## CAPITOLO IX.

Che per difesa delle ragioni della Compagnia s'elegga un procuratore idoneo di buona vita e costumi, la di cui cura sarà d'assistere a' bisogni della Compagnia, e comparir per essa, quando occorrerà, avanti qualsisia giudice e tribunale di Roma; al quale si darà per stipendio annuale quello che sarà determinato dalli signori primicerio e guardiani di S. Rocco.

## CAPITOLO X.

Che si distribuiscano ogni anno nel giorno della candelora le candele dal signore e camerlenghi nell'ospedale di san Rocco, e non altrove, il suddetto giorno della candelora, e nelle due feste seguenti, solamente alli scaricatori della Compagnia, e non ad altri, avvertendo che quella del signore sia di peso di due libbre, quelle delli camerlenghi d'una libbra, e quella di tutti l'altri d'oncie tre.

## CAPITOLO XI.

Che per mantenere la pace, unione e rispetto dovuto alli superiori, tanto necessario, nessun scaricatore ardisca dir parole ingiuriose al signore e camerlenghi, in ordine però a' negozi della Compagnia, sotto pena di libbre cinque di cera bianca per ciascheduna volta da applicarsi alla chiesa di S. Rocco, ed altre pene più gravi, secondo li casi che occorreranno, ad arbitrio delli signori primicerio e guardiani di S. Rocco.

## CAPITOLO XII.

Che nel giorno della festa di san Rocco si debba fare adunanza, nella quale si debba fare il signore, con imbussolare tutti della detta adunanza, e poi cavarli, e chi rifiuterà non voler accettare la si-

gnoria debba pagare quello che si contiene nel primo statuto.

IO. BAPTISTA SOMELLINAS, C. A. cler.  
IOANNES GUINIUS.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes statuta huiusmodi apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent:

§ 3. Nos, illos specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta praeserta, cum omnibus et singulis in eis contentis, dummodo sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 4. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Petitur confirmatio.

Confirmantur.

Clausulae.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die x februarii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 10 februarii 1638, pontif. anno xv.

## DXCVII.

*Annulatio capituli provincialis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum provinciae S. Bernardini in Gallia celebrati in spretum et contemptum litterarum apostolicarum.*

Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in provincia S. Bernardini Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum in Gallia fuerit de mense septembris proxime praeteriti capitulum provinciale dictae provinciae celebratum cum assistentia, iussu et mandato dilecti filii Martialis de la Chaumette dicti Ordinis professoris, praetensi visitatoris a dilecto filio eiusdem Ordinis ministro generali ad id deputati, in spretum et contemptum nostrarum in simili forma Brevis litterarum, per quas dilectus pariter filius Romanus Cupif, eiusdem Ordinis etiam professor, in eiusdem provinciae illiusque fratrum commissarium et visitatorem deputatus seu delegatus fuerat;

Remittitur controversia sacrae Congregationi.

§ 2. Imo vero, a praefatarum litterarum executione ipsius Martialis nomine interposita ad nos et sanctam Sedem Apostolicam appellatione, negotium huiusmodi ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales negotiis regularium praepositos, ut examinaretur, et a dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinale Barberino nuncupato, S. R. E.

vice cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, dictique Ordinis apud nos et eandem Sedem protectore decideretur, remissum fuerit:

§ 3. Nos, rationibus pro utraque parte allegatis et deductis mature consideratis, accurateque discussis, de eorumdem fratrum consilio, capitulum provinciale praedictum, cum omnibus inde sequutis, fuisse et esse nullum, nulliusque roboris vel momenti existere, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, declaramus, illudque irritamus, revocamus et annullamus; eundemque propterea Martialem, omnesque alios, qui praedictis nostris litteris, et mandatis venerabilis fratris episcopi Biterrensis illarum exequutoris, resistere vel alias contraire ausi sunt, praeter censuras et poenas in eisdem litteris comminatas et per eos incursas, ad quaecumque dicti Ordinis officia, munia et dignitates inibi imposterum obtinenda inhabiles, vocisque activae et passivae beneficio, ad nostrum et eiusdem Sedis Apostolicae beneplacitum, declaramus, ac eundem Romanum in praefati visitatoris et commissarii huiusmodi officii possessione manutenendum esse et fore decernimus.

§ 4. Mandantes propterea omnibus et singulis dictae provinciae fratribus et personis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis et aliis arbitrii nostri poenis, ut eundem Romanum in visitatorem et commissarium huiusmodi habeant et recognoscant, illique debitum honorem et obedientiam in quocumque dictae provinciae visitationis actu perficiendo praesent: ac eidem Romano, ut, peracta per ipsum visitatione huiusmodi, denuo capitulum provinciale dictae provinciae indicare, intimare ac celebrare, et vocatis vocandis, iuxta seriem et continentiam earundem nostrarum litterarum,

1 Addendum privatos (R. T.)

Declarat capitulum nullum prout in rubrica.

Praeceptum de observando.

absolvere omnino debeat: ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque per quoscumque commissarios et quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitatis aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis dicti Ordinis et provinciae huiusmodi superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam aliâs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv februarii mdcxxxviii, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 15 februarii 1638, pontif. anno xv.

DXCVIII.

*Circa lectorum iubilationem fratrum Minorum de Observantia cismontanae familiae.*

**Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Cum, sicut accepimus, ex frequentissima immeritâque lectorum iubilatione in cismontanâ familiâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum quamplures querelae, multa et graviora incommoda in eadem familiâ redundarint, ac de remedio incommodis huiusmodi adhibendo, cum primum illa ad dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud nos et Sedem apostolicam protectoris, aures pervenerunt, tractatum fuerit:

§ 2. Nos, qui religiosorum Ordinum pacem et unitatem sinceris desideramus affectibus, ut querelis et incommodis huiusmodi obviam eatur, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus, ut lectores iubilati iuxta praescriptum litterarum felicitis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, necnon generalium dicti Ordinis constitutionum pluries renovatarum, ac postremo in capitulo generali dicti Ordinis in civitate Toletana celebrato, instituantur, ita quod nullus posthac ad iubilationem admittatur, quin prius logicam et philosophiam tres annos, ac theologiam decem absque ullâ intermissione edocuerit, vel, si intermitti contigerit, duodecim annos theologiae lector extiterit;

§ 3. Singulis quibusque annis publica et authentica attestatio a guardiano et discretis, eorum manu propriâ et iuramento firmata, conventusque sigillo obsignata, conficiatur, et in publico conventus archivio servetur, ubi, cum opus fuerit, reperiat; ut theologiae lectio in ordine

Motiva.

Lectores iubilati instituantur iuxta Ordinum constitutiones.

ad futuram iubilationem non introducatur, nisi ubi studia formata vigerint et generalia atque a capitulo et congregatione generalibus instituta; quod lectores, qui non intervenientibus praedictis conditionibus per provinciam vel per superiores generales ad iubilationem admissi reperiantur, eo ipso nulliter iubilati censeantur;

§ 4. Ut numerus lectorum iubilatorum restringatur iuxta dispositionem capituli generalis in almâ Urbe anno mdcxii celebrati pro ultramontanâ familiâ, videlicet, ut, pro unoquoque studio generali in singulis provinciis existenti, duo tantum iubilati permittantur, et quolibet deficiente, loco ipsius alter sufficiatur, qui lectionis cursum prius absolverit; demum, pro servandâ in provinciis dicti Ordinis tranquillitate, reprimendisque querelis in hac curiâ in dies exurgentibus, eo quod plurimi, non probato legitime lectionis tempore, et cum maiorum deceptione superiorum, iubilationem obtinuerunt, statuimus pariter et ordinamus, ut praefato more informationes et temporis ad lectionem constituti attestaciones per ministros provinciales de novo conficiantur, et ad generales superiores firmatae sigillataeque remittantur, ut hac ratione relaxationibus et abusibus obviam eatur.

Mandat observari quoad iubilationem.

§ 5. Mandantes propterea omnibus et singulis dictae cismontanae familiae Ordinis huiusmodi superioribus, fratribus et personis, quocumque nomine nuncupatis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis aliisque arbitrii nostri poenis, ne circa praedictorum lectorum iubilationem quicquam aliâs quam in praedictis statutis disponitur ullo unquam tempore de cetero facere vel attentare audeant seu praesumant, ac decernentes statuta huiusmodi, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque ple-

narios et integros effectus sortiri et obtinere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis et cismontanae familiae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis dicti Ordinis superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptis credi mandat.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ii martii mdcxxxviii, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 2 martii 1638, pontif. anno xv.

DXCIX.

*Ne parochi plus percipere possint in sepulturis quae fiunt in ecclesiis regularium, quam in eis quae fiunt in propriis<sup>1</sup>.*

<sup>1</sup> De hac re vide plures alias constitut. t. xi, pag. 60, 196, 508; et tom. xii, pag. 417 (n. 7.).



Urbanus Papa VIII,  
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, diversae extorsiones excessivae a dilectis filiis capitulo et canonicis secularis et collegiatae loci de Veglie, Brundusinae dioecesis, necnon etiam a diversis parochis aliorum locorum fiant pro impediendâ libertate electionis sepulturae in ecclesiis Ordinis huiusmodi; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in praemissis remedio providere de benignitate apostolicâ dignemur.

Committit ordinariis locorum prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dictum exponentem specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, Ordinariis locorum per praesentes committimus, ut provideant omnino, ne diutius abusus huiusmodi tolerentur, et decernant, ne parochi plus percipere possint in sepulturis quae fiunt in ecclesiis regularium, quam in eis quae fiunt in propriis, seu aliorum clericorum non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die II martii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 martii 1638, pontif. anno XV.

DC.

*Indulgentia plenaria ad divinam opem implorandam*<sup>1</sup>.

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus, in Italiâ et adiacentibus ei insulis degentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Publicae quietis zelo ducti, licet pastoralis nostri muneri satisfacere cupientes catholicos principes multipliciter et accurate ad mutuam concordiam, etiam per nuncios nostros ordinarios et extraordinarios, hortati sumus, sperantes fore ut ipsi aliquam opportunam pacis inter se constituendae rationem inirent, eaque de causâ dilectum filium nostrum Martinum S. Angeli in Foro Piscium diaconum cardinalem Ginettum nuncupatum, nostrum in almâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem, Coloniam Agrippinam nostrum et Sedis Apostolicae de latere legatum transmiserimus, et divinum auxilium etiam publicis precibus imploraverimus, attamen (quod non sine animi nostri molestiâ referimus) usque adhuc omnis labor et studium impensum hoste humani generis zizania disseminante in vacuum cessit, nec Dominus complacitior apparet peccatis populorum divinam iracundiam irritantibus, diligit enim iustitiam et odit iniquitatem, sed misereri non obliviscitur. Ad communes igitur christiani populi poenitentis preces, ut Deus animis principum concitatis<sup>2</sup> optatam pacem largiri dignetur, denuo recurrendum duximus. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et erogare de-

Exordium ab ipsa materia sumptum.

<sup>1</sup> Ex Regest. in Secret. Brev.

<sup>2</sup> Edit. Main. legit *conciatis* (R. T.).

Concessio indulgentiae praescripta haec opera peragentibus.

§ 1. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam in reliquâ Italiâ et adiacentibus ei insulis constitutos, apostolicâ auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus, et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram tranquillitatem donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate quam nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui S. Ioannis Lateranensis, Principis apostolorum, S. Mariae Maioris et alias eiusdem Urbis ecclesias seu basilicas, in quibus, iuxta distributionem a dilecto filio nostro in Urbe praedictâ in spiritualibus provicario generali faciendam, sanctissimum Eucharistiae sacramentum publice exponetur, vel ecclesiarum huiusmodi alteram spatio duorum mensium a die datae praesentium computandorum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint; ceteris vero extra Urbem praedictam in reliquâ Italiâ et<sup>1</sup> adiacentibus ei insulis degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam

<sup>1</sup> Coniunct. et nos addimus (R. T.).

animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae pervenerint, designandas, in quibus pariter sanctissimum Eucharistiae sacramentum exponetur, vel ecclesiarum huiusmodi alteram spatio quindecim dierum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum vicarios, seu officiales, et alios ut praefertur faciendae computandorum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ Communione refecti fuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

§ 2. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore aut parochiali loci eiusdem domicilii, eandem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam religiosis secularibus vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ecclesiae seu ecclesiarum visitationem, et orationem, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, etiam ex aliâ approbata ab Ordinariis locorum, eis in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

§ 3. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti in Urbe praedictâ ac re-

Impediti quid praestare debeant ad indulgentiam consequendam.

Indultum eligenti confessarium, cui nonnullae facultates conceduntur.